

JOHANNIS LOCCENII  
Syntagma Politicum,

*in quo continentur*

EPISTOLÆ  
POLITICÆ  
SALLUSTII ET CI-  
CERONIS,

Illius

*De Repub. Ordinandâ,*

Hujus

*De provinciâ rectè administrandâ;*

& in eas

JOH. LOCCENII Commentarius.

*Item*

RESPUBLICA APUM

Joh. Loccenii.

*Ejusdem*

*Animadversiones Politicæ*

in aliquot JUSTI LIPSII Politicorum  
Capita, nunc primum edita.

*Frankofurti & Lipsiæ,*

Sumptibus Christiani Wolffii Bibliop.

ANNO M DC LXXIII.



THE UNIVERSITY OF CHICAGO  
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

1910

1910

1910

1910

1910



THE UNIVERSITY OF CHICAGO



VIRO

NOBILISSIMO & CON-  
SULTISSIMO,

DN.

JUSTINIANO  
VVOLFFIO,

J. U. DOCTORI CELE-  
BERRIMO,

DN.

PATRONO ACPATRU-  
ELI SUO SUMMOPE-  
RE COLENDO,

S. D.

*S. D.*

**CHRISTIANUS VVOLFFIUS,  
BIBLIOPOLA.**

**In**



**N** iis, qui rerum poli-  
ticarum notitiâ per-  
polire generosiores  
capacioresq; animos non  
infeliciter tentârunt ha-  
ctenus, singularẽ æternam-  
que jamdudum meruit lau-  
dem Vir πολιτικῶτατος, JOHAN-  
NES LOCCENIUS. Hujus  
ergò aliquot Politica scri-  
pta dum jam curo edenda,  
eadem non immeritò Am-  
plissimo Nomini Tuo, PA-  
TRONE OPTIME, inscriben-  
da ac dedicanda duxi. Tan-  
tum enim abest, ejusmodi  
ut averferis scripta, ut po-  
tiùs intimo amore atque

constanti complecti ad-  
huc videaris veterē istam  
Amicā Tuam, Sapientiam  
puta civilem. Multa præ-  
tereā eaq; singularia bene-  
volentiaē Tuæ in tenuita-  
tem meam monumenta ex-  
stant, ut me vel totum TI-  
BI, VIR NOBILISSIME, de-  
dicandum offerendumque  
putem. Accipe igitur istud  
qualecunque observantiaē  
in Te meæ, grati que animi  
*τεκμήριον* certissimum, & fa-  
vore singulari nunquam  
non meam dignare tenui-  
tatem. Dab. Numburgi d.  
X. Martii M DC LXXIII.

EPISTO-







## EPISTOLÆ DUÆ

C. CRISPI SALLUSTII  
AD CAIUM CÆSAREM

De

## REPUBLICA ORDINANDA.

## EPISTOLA I.

**R**opulus Romanus antea obtinebat,  
regna, atque imperia fortunam dono  
dare, item alia, quæ per mortales avide  
cupiuntur: quia & apud indignos saepe erant,  
quasi per lubricitatem data; neque cuiquam in-  
corrupta permanserant. Sed res docuit id ve-  
rum esse, quod in carminibus Appius ait, Fabrum  
esse sua quemque fortuna: atque in te maxime,  
qui tantum alios prætergressus es, uti prius de-  
fessi sint homines laudando facta tua, quam tu  
laude digna faciundo. Ceterum uti fabricata,  
sic virtute parata, quam magna industria haberi  
debet; ne incuria deformetur, aut corruant in-  
firmata. Nemo autem alteri imperium volens  
concedit: & quamvis bonus atque clemens  
sit, qui plus potest; tamen, quia malo esse licet,  
formidatur. Id evenit, quia plerique rerum  
potentes perverse consulunt: & eo se munitiores  
putant, quò illi, quibus imperitant, nequiores  
sunt.

fuere. At contra id eniti decet, cum ipse bonus, atque strenuus sis, uti quam optimis imperites. Nam pessimus quisque asperrimè rectorem patitur. Sed tibi hoc gravius est, quàm ante te omnibus, armis parata componere. Bellum aliorum pace mollius gessisti: ad hoc victores prædam petunt, victi cives sunt. Inter has difficultates evadendum est tibi; atque in posterum firmanda res. non armis modo, neque adversum hostes, sed, quod multo majus, multoque asperius est, bonis pacis artibus. Ergo omnes magna mediocrique sapientia res huc vocat: qua quisque optima potest, uti dicat. Ac mihi sic videtur; qualisunque modo tu victoriam composueris, ita alia omnia futura. Sed jam, quo melius, faciliusque constituas, paucis, quæ me animus monet, accipe. Bellum tibi fuit, Imperator, cum homine claro, magnis opibus, avido potentia, majore fortuna, quàm sapientia: quom secuti sunt pauci per suam injuriam tibi inimici: item quos affinitas, aut alia necessitudo traxit. Nam participes dominationis neque fuit quisquam; neque, si pati potuisset, orbis terrarum bello concussus foret. Cetera multitudo vulgi, more magis quàm judicio, post alius alium, quasi prudentiorem, secuti. Per idem tempus maledictis iniquorum occupanda reip. in spem adducti homines, quibus omnia probro, ac luxuria polluta erant, concurrere in castra tua: Et aperte quietis mortem, rapinas, postremò omnia, qua corruptus animus

jube-

jubebat, minitari. Ex quibus magna pars, ubi neque creditum condonare, neque te civibus, sicuti hostibus, uti vident, defluxere: pauci restitere, quibus majus otium in castris, quam Romae, futurum erat: tanta vis creditorum impendebat. Sed ob easdem causas, immane dictum est, quanti, & quam multi mortales postea ad Pompeium discesserint: eoque per omne tempus belli quasi sacro, atque in spoliato fano debitores usi. Igitur, quoniam tibi victori de bello, atque pace agitandum est; hoc uti civiliter deponas, illa ut quam justissima & diuturna sit: de te ipso primum, quia compositurus es, quod optimum factum est, existima. Equidem ego cuncta imperia crudelia, magis acerba, quam diuturna, arbitror, neque quemquam à multis metuendum esse, quin ad eum ex multis formido recidat: eam vitam bellum aeternum atque anceps gerere: quoniam neque adversus, neque ab tergo, aut lateribus tutus sis, semper in periculo aut metu agites. Contra qui benignitate, & clementia imperium temperavere, his lata & candida omnia visa; etiam hostes equiores, quam aliis cives. An qui me his dictis corruptorem victoria tua, nimisque in victos bona voluntate predicent? scilicet, quod ea, quae externis nationibus, natura hostibus, nosque majoresque nostri saepe tribuere, ea civibus danda arbitror; neque barbaro ritu cade cadem, & sanguine sanguinem expiandum. An illa, quae paulo ante hoc bellum in Ca. Pompejum

## 4 SALLUSTII EPISTOLA I.

victoriamque Syllanam increpabantur, oblivio  
 abstulit? Interfecit Domitium, Carbonem, Bru-  
 rum, alios item non armatos, neque in pralio belli  
 jure, sed postea supplices per summum scelus in-  
 terfectos: plebem Romanam in villa publica pe-  
 coris modo conscissam. Heu quam illa occulta  
 civium funera, & repentina cades in parentum,  
 liberorumque sinum, fuga mulierum, & puero-  
 rum, vastatio domorum: ante partam à te vi-  
 ctoriam omnia seva, atque crudelia erant. Ad  
 qua te illi iidem hortantur: & scilicet id certa-  
 tum esse, utriusque vestrum arbitrio, injuria uti  
 fierent: neque receptam, sed captam à te temp.  
 & ea causa exercitus stipendiis confectis, optimos,  
 & veterrimos omnium, adversum fratres, pa-  
 rentesque, alii liberos armis contendere; ut ex a-  
 lienis malis deterrimi mortales ventri, atque  
 profunda libidini sumptus quarerent; atque es-  
 sent opprobria victoriae, quorum flagitiis com-  
 macularetur bonorum laus. Neque enim te pra-  
 terire puto, quali quisque eorum more, aut mo-  
 destia, etiam tum dubia victoria, sese gesserit;  
 quoque modo in belli administratione scorta, aut  
 convivia exercuerint nonnulli; quorum etas ne  
 per otium quidem tales voluptates sine dedecore  
 attigerit. De bello satis dictum. De pace firman-  
 da quoniam tuque & omnes tui agitatís: pri-  
 mum id, queso, considera, quale id sit, de quo con-  
 sultas: ita, bonis, malisque dimotis, patenti via  
 ad verum perges. Ego sic existimo; quoniam



orta omnia intereant, qua tempestate urbi Ro-  
 mana fatum excidii ad venturum, cives cum civibus  
 manus conseruros: ita defessos, & exangues regi,  
 aut nationi prae de futuros. Aliter non orbis  
 terrarum, neque cunctae gentes conglobatae mo-  
 vere aut contundere queunt hoc imperium. Fir-  
 manda igitur sunt concordiae bona, & discor-  
 diae mala expellenda. Id ita eveniet, si sum-  
 tuum & rapinarum licentiam demseris; non  
 ad vetera insitata revocans, quae, jam pri-  
 dem corruptis moribus, ludibria sunt; sed si su-  
 am cuique rem familiarem, & finem sumtuum  
 statueris: quoniam is incessit mos, ut homines  
 adolescentuli, sua, atque aliena consumere,  
 bil lubidini, atque aliis rogantibus deri-  
 pulcherrimum putent; eam virtutem, & ma-  
 gnitudinem animi, pudorem, atque modesti-  
 am pro socordia aestiment. Ergo animus fe-  
 rox, prava via ingressus, & consueti non sup-  
 petunt, fertur accensere in socios modo, modo  
 in cives; movet composita, & res novas ve-  
 teribus acquirit. Quare tollendus fenerator  
 imposterus: uti suas quisque res curemus, ea  
 vera atque simplex via est, magistratum po-  
 pulo, non creditori, gerere; & magnitudinem  
 animi in addendo, non in demendo reip. osten-  
 dere. Atque ego scio, quam aspera haec res in  
 principio futura sit, praesertim iis qui se in  
 victoria licentius liberiusque, quam arctius,  
 futuros credebant: quorum si saluti potius,

quàm libidini, consulés; Illosque, nosque & socios in pace firma constitues. Si eadem studia, artesque juventuti erunt: ne ista egregia sua fama simul cum urbe Roma brevi concidet. Postremo sapientes pacis causa bellum gerunt, laborem spe otii sustentant. Nisi illam firmam efficis, vinci, an vicisse, quid retulit? Quare capesse per Deos remp. & omnia aspera ut soles, pervade. Namque aut tu mederi potes, aut omittenda est cura omnibus. Neque quisquam te ad crudeles pœnas, aut acerba judicia invocat, quibus civitas vastatur magis, quam corrigitur; sed uti pravas artes, malasque libidines ab juventute probibeas. Ea vero clementia erit, consuluisse, ne immerito cives patria expellerentur; retinuisse ab stultitia, & falsis voluptatibus; pacem concordiamque stabilivisse: non, si, flagitiis obsecutus, delicta perpeffus, præsens gaudium cum mox futura malo concesseris. Ac mihi animus, quibus alii timent, maxumè erectus est, negotii magnitudine: & quia tibi terra, & maria simul omnia componenda sunt (quippe res parvas tantùm ingenium attingere nequit) magna cura magna merces est. Igitur provideas oportet, uti plebes, largitionibus & publico frumento corrupta, habeat negotia sua, quibus ab malo publico detineatur: juventq; prohibitatis, & industria, non sumtibus, neque divitiis, studeat. Id ita eveniet, si pecunia, quæ maxuma omnium pernicies est, usum, atque decus demseris. Nam, sæpe ego cum animo meo reputans, quibus quisque

quisque rebus clarissimi viri magnitudinem invenissent; quæ res populos, nationesque magnis auctoribus auxissent; ac deinde quibus causis amplissima regna & imperia corruissent; eadem semper bona, atque mala reperiebam, omnesque victores divitias contempsisse, & victos cupivisse. Neque aliter quisquam extollere sese, & divina mortalis attingere potest, nisi, omissis pecunia, & corporis gaudis, animo indulgens, non assentando, neque concupita præbendo, perversam gratiam gratificans; sed in labore, patientia bonisque præceptis, & factis fortibus exercitando. Nam domum, aut villam exstruere, eamque signis, auleis, aliisque operibus exornare, & omnia potius, quam semet, visenda efficere; id est non divitias decori habere, sed ipsum illis flagitio esse. Porro ii, quibus bis die ventrem onerare, nullam noctem sine scorto quiescere mos est; ubi animum, quem dominari decebat, servitio opprèssere, nequaquam eo postea bebeti, atque claudo pro exercitio uti volunt. Nam imprudentia pleæque, & se præcipitant. Verum hæc, & omnia mala pariter cum honore pecuniæ desinent, si neque magistratus, neque alia vulgo cupienda venalia erunt. Ad hoc providendum est, quonam modo Italia, atque provinciæ tutiores sint: id quod factu haud obscurum est. Nam iidem omnia vastant, deserendo domos, & per injuriam alienas occupando. Item ne, ut adhuc militia injusta, aut inequalis sit: cum alii triginta,

*pars nullum stipendium faciet : & frumentum id, quod antea premium ignavia fuit, per municipia, & colonias illis dare conveniet, cum stipendiis emeritis domos revertentur. Quae rei-pub. necessaria, tibi que gloriosa mihi sum, quam paucissimis absolvi. Non pejus videtur pauca nunc de facto meo differere. Plerique mortales ad iudicandum satis ingenii habent, aut simulant : veruntamen ad reprehendenda aliena facta aut dicta, ardet omnibus animus ; vix satis apertum os, aut lingua prompta videtur, quae meditata pectore evolvat : quibus me subiectum haud poenitet, magis reticuisse pigeret. Nam siue hac, seu meliore alia via perges ; à me quidem pro virili parte dictum, & adiutum fuerit. Reliquum est, optare, uti, quae tibi placuerint, eadè immortales approbent, beneque evenire sinant.*

---

## EPISTOLA II.

AD C. CÆSAREM

De

REPUBL. ORDINANDA.

*Scio ego, quam difficile, atque asperum factum sit, consilium dare regi, aut imperatori ; postremo cuiquam mortali, cuius opes in excelsis sunt : quippe cum & illis consultorum copia adsint ;*

sint ; neque de futuro quisquam satis callidus, satisque prudens sit. Quin etiam saepe prava magis , quam bona consilia prosperè eveniunt : quia plerasque res fortuna ex lubricine sua agit. Sed mihi studium fuit adolescentulo remp. capessere, atque in ea cognoscenda multam, magnamque curam habui : non ita, uti magistratum modo caperem, quem multi malis artibus adepti erant ; sed etiam uti rempub. domi militiaeque, quantumque armis, viris, opulentia posset, cognitam haberem. Itaque mihi multa cum animo agitanti consilium fuit, famam, modestiamq; meam post tuam dignitatem habere & cujus rei lubet periculum facere, dum tibi quid ex eo gloria accederet. Idque non temere, aut fortuna tua, decrevi ; sed quia in te, praeter ceteras, artem unam egregie mirabilem comperi, semper tibi majorem in adversis, quam in secundis rebus animum esse. Sed per ceteros mortales illa res clarior est ; quod & prius defessi sint homines laudando atque admirando munificentiam tuam, quam tu faciendo, quae gloria digna essent. Equidem mihi decretum est, nibil tam ex alto reperiri posse, quod non cogitanti tibi in promptu sit. Neque ego, quae visa sunt, de rep. tibi scripsi, quia mihi consilium, atque ingenium meum amplius a quo probaretur : sed inter labores militiae, interque praelia, victorias, imperium, statui admonendum te de negotiis urbanis. Namque tibi si id modo in pectore consilii est, ut te ab inimicorum impetu vindices,

quoque modo contra adversum consulem beneficia populi retineas, indigna tua virtute cogites; si in te ille animus est, qui jam à principio nobilitatis factionem disturbavit; plebem Romanam ex gravi servitute in libertatem restituit, in praetura inimicorum arma incermis disjecit; domi militiaeque tanta, & tam praecleara facinora fecit, uti ne inimici quidem queri quidquam audeant, nisi de magnitudine tua, quin accipe tu ea, quae dicam de summa reipub. quae profecto aut tu vera invenies, aut certe haud procul à vero. Sed quoniam Cn. Pompejus aut animi pravitate, aut quia nihil maluit, quam quod tibi obesset, ita lapsus est, ut hostibus tela in manus jaceret: quibus ille rebus remp. conturbavit, eisdem tibi restituenda est. Primum omnium summam potestatem moderandi de vectigalibus, sumtibus, judiciis, senatoribus paucis tradidit; Plebem Rom. cujus antea summa potestas erat, nosque his quidem legibus in servitute reliquit. Judicia, tamen si, sicut antea, tribus ordinibus tradita sunt; tamen iidem illi factiosi regunt, dant, adimunt quae lubet: innocentes circumveniunt: suos ad honorem extollunt. Non facinus, non probrum, aut flagitium obstat, quo minus magistratus capiant: quod commodum est, trahunt, rapiunt; postremo, tanquam urbe capta, libidine, ac licentia sua pro legibus utuntur. Ac me quidem mediocris dolor angeret, si virtute partam victoriam more suo per servitium exercerent. Sed ho-

mines

mines inertissimi quorum omnis vis, virtusque  
 in lingua sita est, forte, atque alterius socordia  
 dominationem oblatam insolentes agitant. Nam,  
 que seditio, ac dissensio civilis tot tamque illu-  
 stres familias ab stirpe evertit? aut quorum  
 unquam victoria animus tam praeceps, tamque  
 immoderatus fuit? L. Sulla cui omnia in victo-  
 ria lege belli licuerunt, tamen à Sulpicio hosti-  
 um partes muniri intelligebat; tamen, paucis  
 interfectis, ceteros beneficio, quam metu, reti-  
 nere maluit. At hercule nunc cum Catone, L.  
 Domitio, ceterisque ejusdem factionis quadra-  
 ginta senatores, multi praeterea cum spe bona  
 adolescentes, sicuti hostiae, mactati sunt: cum  
 interea oportunissima genera hominum tot mise-  
 rorum civium sanguine satiari nequiverunt:  
 non orbiliberi, non parentes exacta aetate, non  
 gemitus virorum, luctus mulierum immanem  
 eorum animum inflexit: quin acerbius in dies  
 male faciendo, ac dicundo, dignitate alios, alios  
 civitate eversum irent. Nam, quid ego de te di-  
 cam, cujus contumeliam homines ignavissimi  
 vita sua commutare volunt? scilicet neque illis  
 tanta voluptati est (tamen si insperantibus acci-  
 dit) dominatio, quanto mœrori tua dignitas: qui  
 optatius habent, ex tua calamitate periculum  
 libertatis facere, quam per te populi Rom. impe-  
 rium maximum ex magno fieri. Quo magis  
 tibi etiam atque etiam animo prospiciendum est,  
 quonam modo rem stabilias, communitasue.

Mibi

Mibi quidem quæ mens suppetit, eloqui non dubitabo. Ceterum tui erit ingenii probare, quæ vera, atque utilia factu putes. In duas partes ego civitatem divisam arbitror, sicut à majoribus accepi, in patres, & plebem. Antea in patribus summa auctoritas erat, vis multo maxima in plebe. Itaque sæpius in civitate secessio fuit: semperque nobilitatis opes deminutæ sunt, & jus populi amplificatum. Sed plebes eo libere agitabat; quia nullius potentia super leges erat; neque divitiis, aut superbia, sed bona fama factisque fortibus nobilis ignobilem antebat: humilimus quisque in armis, aut militia, nullius honestæ rei egens, satis sibi satisque patriæ erat. Sed, ubi eos paulatim expulsos agris, inertia, atque inopia incertas domos habere subegit: cœpere alienas opes petere, libertatem suam cum repub. venalem habere. Ita paulatim populus, qui dominus erat & cunctis gentibus imperitabat, dilapsus est; & pro communi imperio, privatim sibi quisque servitutem peperit. Hæc igitur multitudo primum malis moribus imbuta, deinde in artes, vitasque varias dispalata, nullo modo inter se congruens, parum mihi quidem idonea videtur ad capeffendam rempub. Ceterum, additis novis civibus, magna me spes tenet, fore, ut omnes expergiscantur ad libertatem; quippe cum illis libertatis retinenda, tum his servitutis amittenda cura orietur. Hos ego censeo, permixtos cum veteribus novos, in coloniis constituas: ita &



res militaris opulentior erit, & plebes bonis negotiis impedita, malum publicum facere desinet. Sed non inscius neque imprudens sum, cum ea res agetur; quæ scævitia, quæve tempestates hominum nobilium futurae sunt: cum indignabuntur omnia funditus misceri, antiquis civibus hanc servitutem imponi, regnum denique ex libera civitate futurum, ubi unius munere multitudo ingens in civitatem pervenerit. Equidem ego sic apud animum meum statuo, malum facinus in se committere, qui incommodo reipub. gratiam sibi conciliet: ubi bonum pub. etiam privatim usus est, id verò dubitare aggredi, socordia atque ignavia duco. M. Livio Druso semper consilium fuit, in tribunatu summa ope niti pro nobilitate: neque ullam rem in principio agere intendit, nisi illi auctores fierent homines factiosi, quibus dolus atque malitia fide cariorum erant. Ubi intellexerunt, per unum hominem maximum beneficium multis mortalibus dari: videlicet & sibi quisque conscius, malo atque infido animo esse, de M. Livio Druso juxta, ac de se existimaverunt. Itaque metu, ne per tantam gratiam solus rerum potiretur, contra eum nixi, sua ipsius consilia disturbaverunt. Quo tibi imperator majore cura fideque amici, & multa praesidia paranda sunt. Hostem adversum opprimere, strenuo homini haud difficile est; occulta pericula neque facere, neque vitare, bonis in promptu est. Igitur, ubi eos in civitatem adduxeris;

quo-

## 14. SALLUSTII EPISTOLA II.

*quoniam quidem revocata plebes erit, in ea re maxumè animum exercitato, uti colantur bonimores; concordia inter veteres, & novos coalescat. Sed multo maximum bonum patriæ, civibus, tibi, liberis, postremo humana genti pereris, si studium pecuniæ aut sustuleris, aut, quoad res feret, minueris. Aliter neque privata res, neque publica, neque domi, neque militia, regi potest. Nam ubi cupido divitiarum invasit, neque disciplina, neque artes bonæ, neque ingenium ullum satis pollet: quin animus magis, aut minus mature, postremo tamen succumbit. Sæpe jam audiivi, qui reges, quæ civitates, & nationes, per opulentiam magna imperia amiserint, quæ per virtutem inopes ceperant, id adeo baud mirandum est. Nam ubi bonus deterio-rem divitiis magis clarum, magisque acceptum videt; primo astuat, multa que in pectore volvit: sed ubi gloria honorem magis in dies, virtutem opulentia vincit; animus ad voluptatē à vero deficit. Quippe gloriā industria alitur: ubi eam demseris, ipsa per se virtus amara, atque aspera est. Postremo ubi divitiæ claræ habentur, ibi omnia bona vilia sunt, fides, probitas, pudor, pudicitia. Nam ad virtutem una & ardua via est: ad pecuniam, qua cuique lubet, nititur: & malis, & bonis rebus ea creatur. Ergo imprimis auctoritatem pecuniæ demito: neque de capite, neque de honore ex copiis quisquam magis aut minus judicaverit; si neque prætor neque con-  
sul*

*ful, ex opulencia, verum ex dignitate, creetur. Sed de magistratu facile populi iudicium sit. Iudices à paucis probari, regnum est; ex pecunia legi, inonestum. Quare omnes primæ classis iudicare placet sed numero plures, quam iudicant. Neque Rhodios, neque alias civitates unquam suorum iudiciorum pœnituit: ubi promiscuè dives & pauper, uti cuique fors tulit, de maximis rebus iuxta, ac de minimis disceptat. Sed de magistratibus creandis haud mihi absurde placet lex, quam C. Grachus in tribunatu promulgaverat; ut ex confusis quinque classibus forte centuria vocarentur. Ita coæquati dignitate, pecunia, virtute anteire alius alium properabit, nec ego magna remedia contra divitias statuo. Nam perinde omnes res laudantur, atque appetuntur, ut earum rerum usus est: malitia premiis exercetur: Ubi e.3 demeris, nemo omnium gratuito malus est. Caterum avaritia bellua fera, immanis, intoleranda est: quo intendit, oppida, agros, fana atque domos, vastat: divina cum humanis permiscet; neque exercitus, neque mania obstant, quo minus vi sua penetret: fama, pudicitia, liberis, patria, atque parentibus cunctos mortales spoliat. Verum, si pecunia decus ademeris; magna illa vis avaritiæ facile bonis moribus vincetur. Atque hæc ita sese habere tametsi omnes æqui, atque iniqui memorent: tamen tibi cum factione nobilitatis haud mediocriter certandum est: cujus si dolum caveris, alia omnia in proclivi erunt.*

erunt. Nam hi, si virtute satis valerent, magis  
 amuli bonorum, quam invidi, essent. Quia de-  
 sideria, & inertia, & stupor eos, atque torpedo in-  
 vasit; strepunt, obtruncant, alienam famam su-  
 um dedecus existimant. Sed, quid ego plura,  
 quasi de ignotis memorem? M. Bibuli fortitudo,  
 atque animi vis, in consulatum erupit: hebes  
 linguis, magis malus, quam callidus ingenio. Quid  
 ille audeat, cui consulatus maximum imperium  
 maximo dedecori fuit? An L. Domitii magna  
 vis est, cujus nullum membrum à flagitio aut  
 facinore vacat? lingua vana, manus cruenta,  
 pedes fugaces; quæ honeste nominari nequeant,  
 inhonestissima. Unius tamen M. Catonis inge-  
 nium versutum, loquax, callidum haud conte-  
 mno. Parantur hæc disciplina Græcorum. Sed  
 virtus, vigilantia, labor, apud Græcos nulla sunt.  
 Quippe cum domi libertatem suam per inertiam  
 amiserint; censesne eorum præceptis imperium  
 haberi posse? Reliqui de factione sunt inertissimi  
 nobiles: in quibus, sicut in statua, præter nomen,  
 nihil est additamenti. L. Postumius & M. Favoni-  
 us, mihi videntur quasi magnæ navis superva-  
 cua onera esse, ubi salvi pervenire visi sunt: si  
 quid adversi coortum est, de illis potissimum ja-  
 ctura sit; quia pretii minimi sunt. Quoniã nunc,  
 uti mihi videor, de plebe renovanda, corrigenda-  
 que differui: de senatu, quæ tibi agenda videntur,  
 dicam. Postquam mihi etas ingeniumque adole-  
 vit, haud ferme armis atque equis corpus exercui,  
 sed

animum in literis, quod natura firmus erat laboribus, habui. Atque ego in ea vita multo audiendo, atque audiendo ita comperi, omnia reipublice, civitates, nationes usque eo prosperum imperium habuisse, dum apud eos vera consilia varentur: ubicunque gratia, timor, voluptas, ea erant; post paulo imminuta opes, deinde tantum imperium, postremo servitus imposita.

Equidem ego sic apud animum meum statuo; cunctaque in sua civitate amplior, illustriorque res, quam aliis est, ei magnam curam esse reipublice, ceteris salva urbe, tantummodo libertas est: qui per virtutem sibi divitias, decus, honorem pepererunt; ubi paulum inclinata respiciunt, tunc incipit, multipliciter animus curis; atque laboribus fatigatur; aut gloriam, aut libertatem, aut rem familiarem defensat: omnibus locis, festinat: quanto in secundis rebus florentior fuit, tanto in adversis asperius, magisque angustatur. Igitur ubi plebes senatui, sicuti coram animo obedit, ejusque consilia exsequitur: res consilio valere decet, populo supervacanea calliditas. Itaque majores nostri, cum bellis atrocissimis premerentur, equis, viris, pecunia armata, nunquam defessi sunt armati de imperio curare. Non inopia ararii, non vis hostium, adversa res, ingentem eorum animum subequinque virtute ceperant, simul cum animo perirent. Atque ea magis fortibus consiliis, quam in bonis praeliis, patrata sunt. Quippe apud

illos una resp. erat, ei consulebant; factio contra hostes parabatur: corpus atque ingenium, patrie, non suae quisque potentiae, exercitabat. At hoc tempore contra homines nobiles quorum animos socordia, atque ignavia invasit, ignari laboris, hostium, militiae, domi factione instructi, per superbiam cunctis gentibus moderantur. Itaque patres, quorum consilio antea dubia resp. stabiliebatur, oppressi, ex aliena libidine huc atque illuc fluctuantes agitantur: interdum alia, deinde alia decernunt: ut eorum, qui dominantur, similitudo, ac arrogantia fert, ita bonum, malumque publicum existimant. Quod si libertas aequa omnium, aut sententia obscurior esset; majoribus opibus resp. & minus potens nobilitas esset. Sed quoniam coequari gratiam omnium difficile est; quippe cum illis majorum virtus partem reliquerit gloriam, dignitatem, clientelas; cetera multitudo plerumque inscia, sit sententia eorum a metu libera: ita occulto sibi quisque alterius potentia carior erit. Libertas juxta bonis, & malis, strenuis, & ignavis optabilis est; Verum eam plerique metu deserunt, stultissimi mortales, quod in certamine dubium est, quorsum accidat, id per inertiam in se, quasi victi, recipiunt. Igitur duabus rebus confirmari posse senatum, puto; si numero auctus per tabellam sententiam feret. Tabella obtentui erit, quo magis animo libero facere audeat, in multitudine, & presidii plus, & usus amplior est. Nam fere, his temporibus, alii iudicis publi-

iblicis, alii privatis suis atque amicorum  
 gotiis implicati, haud sane reip. consiliis adfue-  
 nt: neque eos magis occupatio, quam superba  
 peria distinuere. Homines nobiles cum paucis  
 ratoriis, quos additamenta factionis habent,  
 acunque libuit probare, reprehendere, decerne-  
 ea uti libido tulit, facere. Verum ubi, numero  
 ratorum aucto, per tabellam sententia dicentur;  
 i superbiam suam dimittent, ubi iis obedi-  
 m erit, quibus antea crudelissimè imperita-  
 nt. Forsitan, imperator, perlectis literis decer-  
 s, quem numerum senatorum fieri placeat; quo-  
 e modo in multa, & varia officia distribuatur;  
 quoniam judicia primæ classis mittenda putem,  
 e descriptio, qui numerus in quoque genere fu-  
 rg sit. Eam ibi omnia generatim describere haud  
 ficile factu fuit: sed prius laborandum visum  
 de summa consilii, idque tibi probandum ve-  
 m esse. Si hoc itinere uti decreveris, cetera in  
 omni erunt. Volo ego consilium meum prudens,  
 aximeque usui esse. Nam ubicumq; tibi res pro-  
 rē ceder, ibi mihi bona fama eveniet. Sed me  
 a magis cupido exercet, uti quocumque modo, &  
 iam primum resp. adjuvetur. Libertatem glo-  
 a cariorē habeo, atque eo te oro, hortorque,  
 clarissimus imperator Gallica gente subacta,  
 puli Rom. summum atque invictum imperium  
 bescere vetustate, ac per summam discordiam  
 labi, patiaris. Profecto si id accidat, neque  
 hi nox, neque dies curam animi sedaverit;

quin insomniis excitus, furibundus atque amens alienata mente feraris. Namque mihi pro vero constat omnium mortalium vitam divino numine invisi: neque bonum, neque malum facinus pro nihilo haberi: sed ex natura diversa premia bonos, malosque sequi. Interea forte ea tardius procedunt: suus cuique animus ex conscientia spem præbet. Quod si tecum patria & parentes possent loqui, scilicet hæc tibi dicerent: O Caesar, nos te genuimus fortissimi viri, in optima urbe, decus, præsidiumque nobis, hostibus terrorem. Quæ multis laboribus, & periculis ceperamus, ea tibi nascenti cum anima simul tradidimus, patriam maxumam in terris; domum familiamque in patria clarissimã; præterea bonas artes, honestas divitias; postremo omnia honestamenta pacis, & premia belli. Pro his amplissimis beneficiis, non flagitium à te neque malum facinus petimus; sed uti libertatem eversam restituas. Qua re patrata, profectò per gentes omnes fama virtutis tue volitabit. Namque hac tempestate, tamen se domi, militiaque præclara facinora egisti; tamen gloria tua cum multis viris fortibus equalis est: si verò urbem amplissimo nomine, & maximo imperio, prope jam ab occasu restitueris; quis te clarior, quis major in terris fuerit? Quippe si morbo jam, aut fato huic imperio secus accidat: cui dubium est; quin per orbem terrarum vastitates, bella, cedes, oriantur? quod si tibi bona lubido fuerit, patriæ, parentibus gratificandi; postremo



*stremo tempore rep. restituta, super omnes mor-  
 tales gloria agnita, tuaque unius mors vita clari-  
 or erit. Nam vivos interdum fortuna, saepe in-  
 vidia fatigat: ubi anima natura cessit, demtis  
 obtreccionibus ipsa se virtus magis magisque  
 extollit. Quae mihi utilia factu visa sunt, que-  
 que tibi usui fore credidi, quam paucissimis po-  
 tui, perscripsi. Ceterum Deos immortales obse-  
 stor, uti, quocunque modo ages, ea res  
 tibi, reique publicae prosperè  
 eveniat.*



*Benevolo Lectori.*

**P**ostquam in iuventute meâ applicueram animum ad studium Politicum, ex informatione Præceptorum meorum, præ cæteris mihi placuit lectio veterum Auctorum, præsertim eorum, qui, præter ingenii & eruditionis laudem, etiam ipsi in Repub. vel ejus parte administrandâ versati essent; atque sic cum arte experientiam magistram adducere possent. Eo fine postea has Sallustii & Ciceronis Epistolas visum est, juventutis ad rempub. adspirantis bono, Commentario illustrare; in quo non satis habui obscuriora auctorum verba explicare, sed etiam rem ipsam ad usum politicum deducere volui. Quæ in Rempub. Apum & Animadversiones in Lipsii Politica præfabar, suo loco videbis, & valebis.

ARGU-



ARGUMENTUM  
ET PARTITIO  
EPISTOLARUM SALLUSTII.

**A**rgumentum & summam harum Epistolarum ipsa inscriptio de Repub. ordinanda indicat. Continent enim consilium Sallustii Cæsari datum, quomodo bellum civile Cæsaris cum Pompeio rectè deponendum, & Respub. Romana per illud hæcenus turbata, componenda atque pacis studiis firmanda sit.

Hæc autem sive orationes sive epistolæ quum integras suas partes habere videantur, non mutilas esse, uti Lipsius Lib. I. Var. Lect. Cap. VIII. vult, existimamus. Nam quod atinet ad primæ Epistolæ dispositionem & partitionem, orditur author à vulgi de fortunæ dispensatione in imperiis opinione, quam tamen mox rejicit, oppositâ ei experienciâ & rationibus in contrarium. Præmissis verò quæ ad benevolentiam quærendam conducunt,

24 ARGUMENTUM ET PARTITIO  
insinuat consilium suum primò generalius  
de Repub. constituenda, quod includit & fir-  
mat certis capitibus, petito primo à modo ci-  
vilitè finiendi belli civilis, cum prævia ejus  
expositione. Illud caput illustrat etiam ex-  
cursu de fructu crudelis & benigni imperii.  
Alterum Caput specialius est de ratione con-  
stituendæ & stabiliendæ pacis ac concordiæ,  
& discordiæ malis depellendis, quorum effe-  
cta describit. Ratio momentorum in firman-  
da pace princeps ponitur, 1. si sumptuum &  
rapinarum licentia tollatur: 2. abstinentia,  
labor & industria urgeantur; 3. Si provinciæ  
à vexatione & injuria militum tutæ præsten-  
tur. Tandem claudit primam epistolam mo-  
destâ consilii sui excusatione, & voto felici-  
tatis.

Initium secundæ epistolæ facit à diffi-  
cultate dandi potentibus consilii, ejusque  
caussis. Quod tamen à se non prorsus alie-  
num fore ostendit, velut non imperito status  
publici. Adspergit verò quasdam laudes  
Cæsaris, & modestum de se sensum, favoris  
colligendi causa. Dum autem ostendit se  
de summa reipub: dicturum, illud comple-  
1. titur & exsequitur his capitibus: ut primò  
generatim agat de curandâ repub. turbatâ,  
additis digressionibus de æmulatione inimi-  
2. corum adversus Cæsarem, & collatione prio-  
ris ac præsentis status. Postea per partes de  
reno-

renovanda & corrigenda plebe & populo, ejusque rei fructu obtinendo, & contrariis incommodis vitandis agit. Præterea modos continendi veteres & novos cives præscribit: 3. ut colantur boni mores, nimia divitiarum æstimatio tollatur, in coloniis novi cives constituentur, & ibi veteribus permisceantur; ut incorrupta sint judicia, nobilitatis factiones caveantur. Porro de ratione constituendi & augendi Senatuum ordinandique judices & eorum sententias differit; Subjecta adhortatione pathetica, ut Cæsar pro virili reipub. restituat. Tandem finit, ut priorem epistolam, præter spectatum scriptionis usum & breviter, precatione prosperitatis. 5.

Hæ insignes Epistolæ possunt esse exemplum cuius reipub. & magistratui, ordinandi publici status, si bello, præsertim civili, sit concussus; aut non rectè ante constitutus vel corruptus. Præterquam quod Author more suo præclaris sententiis velut gemmis eas passim ornat, acutè & eleganter dicta ex occasione inserit, quæ juventuti civilis doctrinæ amanti, & cuius hominum generi ex usu esse possint. Inde moti viri eruditi suis elogiis passim prædicarunt, ex quibus hæc duo solum excerpfi;

ELOGIA DE SALLUSTII  
EPISTOLIS

De Repub. Ordinanda.

Josias Mercerus in Notis ad Aristæneti  
Lib. I. Epist. XIII.*Libellus sanè aureus Epistolarum Sallustii  
ad C. Casarem de Repub. ordinanda.*Christophorus Colerus in Epistola  
de studio Politico:*Dua ille Epistola de Repub: Ordinanda ad  
Casarem nonne cælo delapsæ videntur?*

## JOH. LOCCENII

Commentarius

in

Sallustii Orationem

vel

Epistolam I.

*de Repub: Ordinanda.*

**S**allustii Oratio vel Epistola I.] De duo-  
bus hic ambigunt eruditi, utrum hæ sint O-  
rationes, vel Epistolæ, & utrum Sallustium,  
vel alium Authorem habeant. Quænam hic  
sententia, ut verior, amplectenda sit, malo  
Vossii, quàm meis verbis apponere. Sic au-  
tem



em ille in Lib. I. de Historicis Latin. Cap. XV. *Due ad Caesarem orationes, ut vocant, de Rep. ordinanda, utrum Sallustii sint, non convenit inter eruditos. Carrio [in Notis ad Sallustium] abjudicat Sallustio: quia nemo veterum, qui tantopere gaudent Sallustium ad partes advocare, inde aliquid depromat, vel ad testimonium citet. Dissentit autem Duza [in Notis ad has Sallustii epistolas] cui favent Libri veteres, dictioq; ipsa: quae quicquid dicat Carrio, plane Sallustium redolet. Sin genuinae non sunt, negari tamen non potest, valde esse antiquas & quidem Juliani aut Augustei ævi; saltem non infra Flavianum. Sed genuinas esse, arbitror; non tamen ut Orationes esse putem, sed Epistolas duntaxat. Nam posterioris (epistolæ) auctor quater ait se illa scribere, ac disertim Litteras appellat. Verba ejus hæc sunt: Neque ego quæ visa sunt de repub. tibi scripsi: Item: Ea mihi omnia generatim describere haud difficile. Item: quæ mihi utilia factu visa sunt, quàm paucissimis potui, perscripsi. Item: Forsitan perlectis literis decernes. Planeq; verisimile est, missas esse ad Caesarem, cum in Hispanias contra Petrejum & Afranium proficisceretur: quemadmodum jamdudum Giacconius [in Not. ad Sallustii Epist. de rep. ord.] observavit.*

*Populus Rom. antea obtinebat] In horum verborum lectione variant Codices & Critici. Duos scriptos libros habere pro vero*

*ante obtinebat*, testatur Ciacconius. Quamvis ille conjiciat legendum esse, *pro vero ante obtinebam*; fortè respiciens ad illud Apuleji, initio Apologiæ suæ, ubi sic imitatus est Sallustium: *Certus equidem eram, proque vero obtinebam*. Lugdunensis tamen & Basiliensis editiones Bibliothecæ Upsaliensis, quæ anno MDIX. in lucem prodierunt, receptam lectionem retinent. Mericus Casaubonus in Notis ad Lib. III. Vitæ Antonini pag. XLI. *Populus Rom.* glossam esse putat, qua insignis locus turpiter deformetur atque obscuretur. *Ut mihi videtur*, inquit, *imperiti scripsere P. R. unde in quibusdam codicibus postea enatum, pro vero*. Ille verò simpliciter legit *antea obtinebat*, id est opinio obtinebat, seu vulgò credebatur. Janus Duza in Notis ad hanc Epist. non mutandum censet illud: *Populus Rom. antea obtinebat*, & idem esse ait, quod opinabatur, persuasum sibi habebat, novo significato à novatore verborum Sallustio positum, ut ibid. addit. Mercerus in Notis ad Aristæneti lib. I. ep. XIII. istam lectionem *populus R. pro vero antea obtinebat*, approbat; & Scipio Gentilis in Commentario ad Apuleii Apologiam, & quidem ad illa authoris verba: *proquè vero obtinebam*. Ubi sic notat: *Obtinere antiquè dixit, pro existimare vel judicare*. Ita Sallustius or. I. de Rep. ord. statim initio *populus Rom. antea obtinebat* &c. *Sed placet vehementer, quod in duobus MSS. legitur: Pro*

*vero*



ero antea obtinebat, *quæ lectio & ab elegantia, & ab hac quam observavimus Apuleii imitatione confirmatur.* Cui consequens est, ut vel obtinebant (scilicet mortales) vel P. Rom. vero obtinebat, facili librarii lapsu scribendum sit. Confer etiam Scioppium de Stylo histor. p. 148.

*Regna atque imperia fortunam donare* ] Si per fortunam hic casum ex opinione vulgi paganorum intelligas, vulgus regna imperia, honores & opes casu dari opinatur: quod sæpe apud indignos essent, & quod vix quisquam illis perpetuò frueretur. Nec vulgus solum, sed & nonnulli apud gentiles, qui sanioris iudicii esse volebant, sic existimabant, aut certè de eo dubitabant. Plinius inquit: paneg. in Trajanum: *Si adhuc dudum fuisset, forte casus, rectores terris, an aliquo numine darentur; Principem tamen novorum liqueret divinitus constitutum.* Sed Christiani providentiam Dei rectè agnoscens, novimus, omnem potestatem esse à Deo, iustitia & abusus ejus, ab hominibus. Si verò per fortunam accipiamus bona fortunæ, genus, opes, existimationem, corrupto seculi more comperimus, ob istæc sæpe, qui sine ingenio, virtute, literis sunt, ad honores evehita accepit Seneca in libello quare bonis visis mala accidant: *Descendisti ad Olympia; Sed nemo præter te, coronam habes, victoriam non habes.*

30 JOH. LOCCENII COMMENTARIUS  
*habes. Non gratulor tanquam viro forti sed tanquam consulatum preturamve adepto.*

*Sed contra res docuit id verum esse, quod in carminibus Appius ait: Fabrum esse suæ quemq; fortune.] Pro Appius hic legit Lipsius Polit: 5, 16. 6. Attius. Volaterranus hoc dictum Accio tribuit, ut Xystus Betuleius in quinto Ciceronis paradoxum notat. Betuleius verò Appium cæcum hujus dicti authorem laudat, ex lib. IV. Tusc. quæst. ubi sic Tullius: *Mibi quidem etiam Appii cæci carmen, quod valde Panætius laudat epistola quadam, quæ est ad Q. Taberonem, Pythagoreorum videtur.* Et Appii nomen veteres codices præferunt, geminâ germana sententia Ciceronis in quinto paradoxo & Cornelii Nepotis in Attico: *Fortuna suis cuique fingitur moribus, eundem sive Accium sive Appium authorem priinum agnoscere videtur.* Hoc autem argumentum, quum accurate & ex professo tractarit Franciscus Baco in peculiari dissertatione, quæ inscribitur *Faber fortune*, præter illa quæ Piccartus Observ. 16, 10. & alii notantur, hic brevior ero. *Ista verò verba: Sed contra docuit &c. opponit Author vulgi opinioni de cæca fortunâ.**

*Qui tantum alios prætergressus es, ut prius defessi sint homines laudando facta sua, quam tu laude digna faciendo.] Sic noster inf: epist. 2. Quod & prius defessi sint homines laudando atq; admi-*

*admirando munificentiam tuam, quam tu faciendo quæ gloriâ digna essent.* Sunt verba benevolentia captandæ; quæ subsequitur *consilium* authoris Cæsari datum primò generale, dein speciale.

*Ut fabricata, sic virtute parata quam magnâ industriâ habere decet* ] Cæsar in orat. ad suos Legatos & centuriones apud Dionem Cassium lib. XXXVIII. *Iisdem artibus & quæri bona & retineri.* Cur quædam gentes quærendis, quam retinendis provinciis meliores sint, in causa est, quod manu, virtute & industria parata, iisdem non tuentur. Quæ fusius disquirit Forstnerus in Tacit II, 2.

*Nemo alteri imperium volens concedit* ] Imperium quidem ut sit justum & firmum, à volentibus proficisci, & in volentes exerceri debet. Si verò populus non adeò volens alteri concedat imperium, vel ex subjectione per arma fit, vel metuit eum in magna fortuna vi potestatis ac licentiæ abreptum iri, rigideque imperaturum illis qui libertatem amant. In hanc sententiam differit Polybius lib. VI. *Non omnem unius potestatem statim regnum existimandum esse, sed eam demum quæ à volentibus conceditur, & quæ consiliis potius, quam metu aut vi regitur. Sed si nacti sint talem, qui vi & robore imperium metiatur, & ipse viribus valeat, non aliter potest, quin eum metuant, donec experiantur eum favere illis, eosque sua potestati*

*tentia protegere. Tunc non amplius vim veriti, sed animis potius & voluntate consentientes ejus se potestati subjiciunt, & ad conservandum ipsi imperium cuncti conspirant.* Tullius I. Offic. *Inest hominibus appetitio quaedam principatus, ut nemini parere animus a natura bene informatus velit, nisi precipienti aut docenti, aut utilitatis causa justè & legitime imperanti.* Simile quid Plato in politico ante dixerat. Inter Augusti artes erat, quod septimum Consul in senatu de imperio deponendo, ut nimio & invidioso onere, reddendaque repub. egit. Sed hoc in speciem; revera, ut imperium sibi consensu volentium & sponte cupientium hominum confirmaretur; ne viderentur in posterum inviti & coacti sub unius imperium concessisse; ut est apud Dionem Cass. lib. LIII.

*Et quamvis bonus atq; clemens sit, qui plus potest, tamen, quia malo esse licet, formidatur* ] Hic Author rationes pressius ponit, cur homines alteri imperium non adeò volentes concedant. *Prima hæc est, quod, quia malo esse licet, formidatur.* Non quidem per se licet esse malo principi, magis quam aliis; Sed quia illi major quam aliis facultas est male faciendi, si potestate sua male uti, aut de potestate licentiam facere velit, ut Anonymus in paneg. Constantini loquitur; ideo time-  
tur,

*Quia*

*Quia plerique rerum potentes perverse consulunt, & eò se munitiores putant, quo illi quibus imperitant, nequiores fuerit.] Altera ratio hæc est, quod principes sæpe perverse consulunt atque perperam opinantur, eò se munitiores fore, quo illis parentes peiores fuerint, sed hoc est Tyrannorum: Aristoteles lib. V. Polit: cap. XI. *πονηρὸς Φίλον ἢ τρεφννίς.* Tyrannis est amans malorum. Tyranni enim malos ob morum similitudinem sibi addictiores, & servitutis patientiores fore credunt. Unde Aristodemus apud Cumæos imperium suum communitum ivit, allectis sordidissimis & nequissimis civibus, quorum ope reipub. gubernaculum optimatibus ademerat, teste Dionysio Halicarnass. lib. VII. Antiq. Rom. cap. VIII. Cæterum infirmum est in sceleratis subsidium, qui fortunam principum magis, quam ipsos colunt; rectorem verò ægre patiuntur, ut noster mox ait.*

*At contra id eniti decet, cum ipse bonus atque strenuus sis, uti quam optimis imperites.] Bonus princeps bonis imperare studet. Bonos autem reddit virtutum exercitiis, inprimis exemplo suo, & simul felicem reipub: Eo nomine Plinius laudat Trajanum in paneg.: Quanto magis arduum est alios prestare quam se, tanto laudabilius, quod cum ipse sis optimus, omnes circa te similes tui effecisti.*

*Pessimus quisque asperissime rectorem patitur.]*

34 JOH. LOCCENII COMMENTARIUS  
[ur.] Ut ferox & petulans equus est fræni  
impatiens, ita pessimus quisque hominum  
rektoris. Hoc Sallustii Seneca lib. III. de Ira,  
cap. XXXVII. sic imitatione expressit: *Ad-  
moneri bonus gaudet pessimus quisq; asperrime  
corruptorem patitur.* Hic enim illum ad recta  
ducere conatur, quæ ille odio habet.

*Sed tibi hoc gravius est, quam ante te o-  
mnibus, armis parata componere*] Duæ inprimis  
difficultates Cæsari occurrebant in ordinan-  
da vel componenda repub. una ob mitem  
belli gesti rationem, altera ob prædam ex vi-  
ctis civibus inter victores milites distribuen-  
dam. Vide hic Colerum in Notis. Sed apta  
his remedia & salutaria consilia adfert Autor  
in hac & sequenti epistola.

*Bellum aliorum pace mollius gessisti.*] Hinc  
Cicero pro Deiotaro: *Solus est Cæsar cujus in  
victoria ceciderit nemo nisi armatus.* Quod  
in oratione pro Marcello pluribus persequi-  
tur. Confer quoque orationem Antonii in  
funere Cæsaris dictam, apud Dionem Cassi-  
um, lib. XLIV. Suetonium in Julio cap.  
LXXV. Vellejus 2. 56, 1. sic: *Omnes qui  
contra se arma tulerant ignovit.* Simile quid  
de Theodosio Latinus Pacatus in paneg. *Ta-  
ipsum victoria victor ita omnem cum armis iram  
deposuisti, ut ceciderit nemo post bellum.* Eximi-  
um vindictæ genus est, quum vindicare pos-  
sis, ignoscere.

*Victores prædam potiunt*] Jure victoriæ,  
quo

quo sibi omnia permittunt, & in præmium laboris ac periculi belli prædam expetunt.

*Firmanda Respub. non armis modo neque adversum hostes, sed, quod multo majus multoque asperius est, bonis pacis artibus*] Eodem modo Tullius in orat. pro M: Marcello Cæsarem hortatur, & quibus pacis artibus firmet remp. ostendit: *Omnia inquit, sunt excitanda tibi C. Caesaruni, quæ jacere sentis, belli ipsius impetu, quod necesse fuit, perculsa atq; prostrata; constituenda judicia, revocanda fides, comprimende libidines, propagande soboles: Omnia quæ dilapsajam fluxerant, severis legibus vincienda sunt.* Plato mancum eum regem ac magistratum esse dicebat, qui, si bello gerendo esset idoneus, pacem administrare non posset: quum pax belli sit præstantissimum pretium; & bello turbata, pace sint restituenda: Tacitus A. 2, 64, 2. *Letiore Tiberio, quia pacem sapientiâ firmaverat, quam si bellum per acies confecisset.* Vellejus de Augusto, 2, 123. 1. *Quum Tiberium filium missurus esset in Illyricum, ad firmanda pace quæ bello subegerat.* Non tamen minus pax armorum præsidio tuenda, & principatus armis quæsitus, armis tenendus erat, ut Cæsari consulebant Panfa & Hirtius apud Vellejum 2, 57. 1. Sed dum Cæsar unum præstare studet, ad populi amorem quærendum, nimirum pacis artibus legibus & moribus firmare rempub, alterum

36 JOH. LOCCENII COMMENTARIUS.  
verò negligit, armis tenere principatum; &  
dimittit militare præsidium, non dimisso do-  
minatu, exitio datus est. *Vid. Clapmar. de Ar-  
can. rerumpub. 3.14. & Boecler. ad Velleij dictum  
locum.*

*Omnes magna mediocrique sapientia res  
huc vocat, quæ quisq; optime potest, ut dicat ]*  
In rebus arduis & periculosis nullius amici,  
modò bene erga publicum animatus sit, con-  
siliium spernendum est. Tullius Philipp. VII.  
*Etiã summi gubernatores in magnis tempesta-  
tibus à vectoribus admoneri solent. Petrus  
Magnus Parmensis in præmio lib. de con-  
silio : Quanquam ad consiliium, nisi vocemur,  
accedere veteri proverbio prohibemur; tamen  
ut in publici criminis reum cuiusvis est actio, sic  
pro repub. laborante cuiusvis est opem ferre, nec à  
se alienum existimare debent singuli, quod uni-  
versos attingit.*

*Qualicunq; modo tu victoriam composue-  
ris, ita alia omnia futurum ]* Victoria bene com-  
posita totius belli fructus, & futuræ securita-  
tis fundamentum est. Devicti enim, si be-  
nignè habeantur, in fide manent, & quæ de-  
bent, præstant. Sed violenter & contume-  
liosè habiti, tandem ex impatientiâ, deficien-  
di vias quærunt; si vires & occasio adsint.  
Itaque *vincere & consulere rectè victis scire, ex  
Curtii monito, præstat.*

*Bellum*



*Bellum tibi fuit cum homine claro* ] per illum hominem clarum Pompejum signari constat, cui bellum civile cum Cæsare fuit.

*Majore fortuna quam sapientia* ] Reliqua ejus magnitudo non tam animi, quam opum & fortunæ viribus adscribitur. Vid. Freinsheimii Not. in Curt. 8, 10, 12.

*Quem sequuti sunt pauci* ] Cæsar lib. III. belli civil. *pauci ordinis senatorii, qui se cum iis* [Pompejanis] *conjunxerant. Adi Dionem Cassium libro XLI.*

*Nam particeps dominationis neque fuit quisquam, neque si patipotuisset, orbis terrarum bello concussus foret* ] Lucanus lib. I. belli Phars. v. 125. & seqq. de iisdem:

*Nec quemquam jam ferre potest, Cæsare priorem,*

*Pompejusve parem; quis iustius induat arma,  
Scire nefas: magno se iudice quisque tuetur.*

Si verò dominationis participem ferre potuisset, tanto orbis motu bellum inter eos excitatum non fuisset. Confer Vellejum 2, 30, 4. & ibi Boeclerum.

*Orbis terrarum bello concussus foret* ] Ita Lucanus lib. I. 25. loquutus est:

*Rupto fœdere regni*

*Certatum totis concussi viribus orbis.*

Et Claudianus de III. consulatu Honorii:

*Civilia rursus*

*Bella tenant, dubiumq; quatit discordia mundum.*

Is equidem est fructus certaminis amuliorum de potentia, & inde bellorum civilium; ut non solum suas provincias turbent, sed etiam totum commoveant orbem, certè attonitum, perplexum dubiumque teneant. Quod non solum Cæsaris & Pompeji bellum civile, sed etiam nostræ ætatis bellum intestinum in Germania testabatur.

*Cætera multitudo vulgi more magis, quam iudicio post alium alium quasi prudentiorem sequenti.]* Multitudo in motu civili more pecoris, sui generis gregem, aut ducem, quem sapientiorem credit, aut feliciorem comperit, sequi solet; nec ire, quò ratio ducit, sed quò impetus, aut partes, aut fortuna eam auferunt. Cato eodem sensu *multitudinem similem esse dixit ovibus. Ut enim ille seorsum singula non parent, sed universa gregatim sequuntur ductores; ita vos quoq;* (alloquitur plebem Romanam apud Plutarchum) *quorum consilio nemo vestrum utatur privatim, ab his in cæcum coacti ducimini.* Nec multitudo solum, sed etiam primarii viri in rebus perplexis & motibus publicis aliquando huc trahi solent. Ipse Tullius de se ad Atticum 7,7. *Cum hoc (Cæsare) aut depugnandum est,*

*aut*

aut habenda è lege ratio. Depugna, inquis, potius, quam servias, ut quid? Si victus eris, pro- scribare? Si viceris, tamen servias? quid ergo, inquis, acturus es? Idem quod pecudes, quæ depulsa sui generis sequuntur greges. Ut bos ar- menta, sic ego bonos viros, aut eos, quicumq; di- sentur boni, sequar, etiamsi ruent. Unde eti- am in bello Cæsar's & Pompeji sequutus est partes Pompeji. Sed audi Senecam in Lib. de vita beata: Nihil magis præstandum est, quàm ne pecorum ritu sequamur antecedenti- um gregem, pergentes, non quàm eundem est, sed qua itur. Confer Lipsium in Politic 6, 6, 2. 13.

Apertè quietis mortem, rapinas, postremò omnia quæ corruptus animus jubebat, minitari.] Quieti hic dicuntur, qui sunt neutrarum par- tium. Adi, si lubet, Indicem meum Philo- logicum in Cornelium Nepotem. Sed quod ad rem ipsam attinet, huc quoque facit illud Suetonii in Julio caput LXXV. Denunciant Pompejo, pro hostibus se habiturum, qui reipub. defuissent. Ipse (Julius Cæsar) medios & neu- trius partis suorum sibi numero futuros pronun- ciavit.

Magna pars, ubi neq; creditum condonare, neq; te civibus, sicuti hostibus, uti vident, deslu- xere.] H. e. Magna pars multitudinis aut mi- litum are alieno pressorum, ubi te vident illis hoc non condonare, nec cives, quibus id debent;

debent, te more hostium tractare, aut aliorum civium bona illis diripienda dare, deserunt. Solet enim spes liberandi se ære alieno & opum ex direptione civium comparandarum invitare obæratos & perditos homines vel ad defectionem, vel turbandum publicas res. Ita factum sub Sulla, Catilina, aliis. Cicero orat. pro Sexti: *Qui propter implicationem rei familiaris communi incendio malunt, quam suo deflagrare*, Livius lib. XLII. de Ætolis & Theffalis. *Erant non Ætoli modo in seditionibus propter ingentem vim æris alieni, sed Theffalietiam*. Gramondus hist: Gall: lib. I. *Rei privata studio agebantur in bellum, fidesq; omnibus sub hasta erat.*

*Defluxere* ] Per translationem est idem quod *dilapsi sunt vel aufugerunt*, ut homines leves, quorum fluxa fides esse solet, præsertim in discordiâ publica. Tacitus Hist. 2, 75. 2. *Fluxam per discordias militum fidem*. Eadem voce usus est Sallustius initio belli Jugurth. *Ubi per socordiam tempus, vires, ingenium defluxere*. Et Cicero Fam. Epist. 9, 20. *Ubi saluatio defluxit, libris me involvo, aut scribo, aut lego.*

*Quibus majus otium in castris, quam Romæ futurum erat* ] Ob creditores & fceneratores, qui Romæ eos subinde, ut mala nomina compellabant & vexabant. Vide similia apud

puđ Livium Lib. 2. Sallust. Conjur. Catilin.  
c. 33. Florum lib. I. cap. 23.

*Eog, per omne tempus belli quasi sacro atq;  
inspoliato fano debitorcs usi*] Dicit debitorcs  
Pompejo contra vim creditorum tanquam a-  
silo, aut sacro & non spolciato fano, vel pro-  
tectione ejus usos esse: uti solent obæratı  
aut exsules imperatoris aut Regis patrocini-  
um quærere. Ita de Julıo Cæsare Suetonius  
cap. XXVII. *Tum reorum aut obæeratorum aut  
prodigæ iuventutis subsidium unicum ac prom-  
tissimum erat.* Sic ad Davidem, quum Saul  
eum persequeretur, & ille se contra Saulis vim  
necessario subsidıo tueretur, confugerunt  
*pressi angustia, & quibus erat exactor,* ut loquitur  
S. Scriptura I. Sam. 22, 2.

*Cunęta imperia crudelia magis acerba,  
quam diuturna esse arbitror*] Acerba, id est a-  
mara, aspera & intolerabilia, ut Badius &  
Ascensius exponunt. Sic inf. noster *Acerba  
judicia.* Aliàs *acerbum*, horrendum & immite,  
aliàs quoque *immaturum*, ut Nonius Marcel-  
lus aliique exponunt. Hoc modo sanę ty-  
rannica imperia magis horrenda, formidan-  
da & aspera, quam diuturna esse solent. Tha-  
les philosophus interrogatus, quid rarõ vi-  
disset, respondit: *Tyrannum senem*, Senecæ  
Herc. Oet. circa fin. illa nota sunt:

*Invisa nunquam imperia retinentur diu.*

Et Troade:

42 JOH. LOCCENII COMMENTARIUS  
*Violenta nemo imperia continuit diu,  
Moderata durant.*

Si verò aliquando diuturnum habeant imperium tyranni vel crudeliter dominantes, inde fit, quòd imperent vel servire advetis, vel non bene institutis, ut docet Epimenides in Epistola ad Solonem, apud Diogenem Laertium.

*Neque quenquam à multis metuendum esse, quin ad eum ex multis formido recidat* ] Hoc est reciprocum, ut qui formidatur, formidet. Tullius. II. Offic. Tyrannus tam timet quam timetur, & quamvis sit denso Satellitio stipatus, ad periculum tamen solus est. Seneca Oedipo act. 3.

*Qui sceptri duro sevis imperio regit,*

*Timet timentes : metus in auctorem redit.*

*Eam vitam bellum aeternum atque anceps gerere : quoniam neque adversus, neque ab tergo, aut lateribus tutus sis, semper in periculo aut metu agites* ] Hæc est felicitas scilicet tyrannorum, perpetui angoris comitatus; quocumque se vertant. Unde Saturninus Tyrannus apud Fl. Vopiscum ad suos : *Nescitis amici, quid male sit imperare* (sed male imperate; ut ille) *Gladii, tela & hasta nostris cervicibus impendent, ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur; non cibus pro voluptate, non iter pro auctoritate, non bellum pro judicio, non arma pro studio.* Domitianus metu insidiarum parietes

rietes porticum in quibus spatium solebat, phengite lapide distinxit : ut ejus splendore per imagines, quidquid à tergo fiebat, provideret, teste Suetonio.

*Lata & candida* ] Candida dicuntur hic prospera & felicia. Candor enim argumentum est felicitatis. Paschal. de Coron. 2, 5. p. m. 572. Ovid. Trist. 3, 4. *Fato candidiore frui.*

*Contrà qui benignitate & clementia imperium temperare, his lata & candida omnia visa, etiam hostes equiores, quam aliis cives.]* Hoc Fabricius in Pyrrho hoste, Alexander in Dario, Romani in suis hostibus benignè habitis, alii in aliis experti sunt. Alphonfus Rex Arrag. huc respiciens verè dixit : *Nihil magis adversariorum animos flectere, quam benignitatis & mansuetudinis nomen. Dum Romani beneficiis potius quam metu imperium agitabant, id maxime floruisse, eorumq; urbem regum ac populorum perfugium fuisse.*

*An qui me his dictis corruptorem victoriae tuae.]* Hic occurrit auctor illis, qui ipsum, dum bellum civile deponendum, & victos cives clementer habendos esse, Cæsari suadet, possint eum corruptorem victoriae Cæsaris, & nimis bona in victos voluntate esse dicere; & ita occurrit; ut ostendat, ea civibus non esse deneganda, quæ olim exteris & natura hostibus Romani tribuerunt; & sanguine non

44. JOH. LOCCENII COMMENTARIUS  
non posse fatiari, barbarum & ferum esse.  
Confer initium orat. Cæsaris apud Sallust.  
bello Catil. cap. LI. Claudianus lib. II. de  
laud. Stilicon.

*Hæc docet, ut pœnis hominum vel sanguine  
pasci,*

*Turpe feramq; putes, & ferrum Marte cru-  
entum*

*Sic cum pace premas, ut non incensus alendis  
Materiam præstes odia, ut fontibus ultrò  
Ignovisse velis.*

Hoc est, quod Salustius ait: Non bar-  
baro rieu cade eadem, & sanguine sanguinem  
expiandum esse.

*In Cn. Pompejum victoriamque Sullanam]*  
Cn. Pompejum juvenem etiam in partibus  
Sullæ fuisse, imò earum ducem, ex Plutar-  
chi Sulla & Pompejo, ex Flori lib. 3. c. 23.  
& aliis constat. Hinc Lucanus lib. VIII. v.  
25. de eo.

*Actaque laurifera damnat Syllana juventa.*  
*Incipabantur ] Arguebantur, carpe-*  
bantur. Vide Freinshemii Indicem in Flo-  
rum in v. increpare. Sic noster in bello Catil.  
*maledictis increpabat omnes bonos.*

*Interfecit Domitium, Carbonem, Brutum,*  
*alios item non armatos ] Per Damasippum*  
prætorem. De qua re legendi Vellejus 2, 26. 2.  
Lucanus lib. VII. v. 596. & seqq. Lapsus est  
memoria Arnifæus lib. I. de repub. cap. 3. sect.

5. n. 21.



§. n. 21. quum hoc jussu Cæsaris factum esse scribit, quod Sullæ imperio factum est.

*Supplices per summum scelus interfectos, plebem R. in villa pub. pecoris modo, conscissam]*  
 Florus lib. III. cap. XXI. *Septuaginta amplius mille Sulla concidit, bellum erat. Quatuor milia deditorum inermium in villa pub. interfici jussit.* Villa publica erat domus amplissima Romæ in campo Martio extra urbem, in quam domum hostium legati, quibus in urbe hospitium non concedebatur, ut amicorum legatis, recipiebantur, ut observat Marlianus in descriptione Romæ lib. VI. Cap. XIV. Eò quoque succedebant è campo Martio cives ubi cohortes ad delectum Consuli adductæ considerent, ubi arma ostenderent, & censes censu admitterent populum, ut notat Varro lib. III. de re rust. II. In hac villa pub: tot supplices & cives Sulla contra jus naturæ & gentium interfecit, serarum rabiem supergressus, quæ supplicibus & prostratis parcere solent.

*In parentum aut liberorum sinum fuga mulierum & puerorum]* Ita in bello Catil. cap. 51. loquitur: *Rapi virgines, pueros, divelli liberos à parentum complexu.*

*Ut ex alienis malis deterrimi mortales ventri atque profunda libidini sumtus quærerent]*  
 Inter belli civilis incommoda hoc est, ut milites

lites ex aliena calamitate sibi messem, ventris ac libidinis suæ sumtus sibi quærant.

*Scorta aut convivia exercuerint*] Ita Plautus in Amphitr. a. 1. sc. I. v. 132. Et Catullus epigr. 72. quoque loquuti sunt, ut jam Doula & Thyfius in suis Notis observarunt. Noster hoc in Conjur. Catil. cap. VII. his verbis expressit: *In scortis atque conviviis libidinem habebant.*

*De pace firmanda quoniam tuque & omnes tui agitis, primum considera, quale id sit de quo consultas: ita bonis malisque dimotis patienti via ad verum perges*] Quum hæc Author de ratione belli civiliter deponendi & reipub. pacis artibus firmandæ generalius egerit, nunc, ut specialius & commodius exponat pacis firmandæ modos, & ut ea quam justissima & diuturna sit, uti sup. monuit, docet, Cæsari primo perpendendum esse, quale id sit, de quo consultet, nimirum *de pace rectè constituenda.* Quem scopum ut absque offensione attingat, ea removenda esse monet, quæ eum turbare vel impedire possint: nimirum noxia ab utilibus, mala à bonis dimovenda & separanda esse. Velut est via patientior ac facilior, si removeantur, quæ eam impeditam reddunt; ita deliberationes minus difficiles erunt, & scopus earum facilius attingetur, si impedimenta prius tollantur. Hoc est, quod Author innuit istis verbis: *ita bonis malis-*

*malis que dimotis, patenti via ad verum perges.*  
 Non est hæc ejus mens, quod bona mala-  
 que simul removenda sint, sed quod mala à  
 bonis velit dimoveri, separari & secludi. Ut  
 ante exposui, per *mala*, discordiæ mala intelli-  
 git, per *bona*, concordia bona: hæc firmari,  
 illa expelli vult, ut ipse mox subjungit; &  
 ego ad illa verba plura.

*Quoniam orta omnia intereunt, qua tem-  
 pestate urbi Romane fatum excidii adventarit.]*  
 Hoc axioma *orta omnia interire* primo aucto-  
 ri Xenophani philosopho tribuit Diogenes  
 Laertius in ejus vita. Illius dictum propriè  
 tale erat, teste Diogene, πᾶν τὸ γινόμενον  
 φθαρτέον ἐστίν, *Omne generatum corruptibile est.*  
 Panætius apud Tullium I. Tusc. quæst. sic:  
*Quicquid natum est, interire.* Nisi tamen interi-  
 tui virtute Divinâ subtractum sit. *Vid. Aristot.*  
*lib. I. de Cælo cap. ult. Micræl. Etnophron.*  
*lib. I. Dial. 2.* Sed orta omnia interire, est com-  
 munis & remota, non propria & proxima  
 mutationis & corruptionis Rerumpub. causa.  
 Ad Aristot. V. Politic. c. VIII.

*Cives cum civibus manus conferturos, ita  
 defessos & exsangues regi aut nationi præda fu-  
 turos.]* Propinquior dictæ mutationis causa  
 est, intestina discordia & civile bellum, quod  
 olim Roma experta est; & nostro sæculo Ger-  
 mania cum tota sui ruina experta fuisset, nisi  
 pax rediisset. *Vid. Bernecc. in Justinum 2. 33. 1. 24*

48 JOH. LOCCENII COMMENTARIUS  
& in Tac. Qu. 124. Sed de causis & malis intestine discordiæ author in sequentibus.

*Idcirco evenit, si sumptuum & rapinarum licentiam demseris* ] Quomodo concordia bona firmanda, & discordia causa & mala expellenda sint, nunc porro docet. Et primum modum vel *remedium* ponit, sumptuum & rapinarum licentiam demendam, contra suam cuique rem familiarem & finem sumptuum statuendum esse. Idem repetit ep. II. Ex sumptuum profusione & luxu cum alia vitia, tum rapina & alienorum invasio sequi solet: praesertim si deficiente pecuniâ, non deficient pravæ cupiditates: hinc tandem rerum turbatio & discordia oritur. Cæsar lib. VI. belli Gall. *Ne qua oriatur pecunia cupiditas, qua ex refactiones, dissensionisque nascuntur.* Confer Aristot. 2. Pol. 3. & 6. Forstner. in Tac. p. 424.

*Vetera instituta corruptis moribus ludibria sunt.* ] Varro in Satyra, quæ *senis Doctor* inscribatur, docuit frustra laborem impendi corruptis moribus, in rem inveteratam, seram ac inemendabilem.

*Tollendus fenerator in posterum* ] Is quoque turbat rempub. dum improbo scenore credens prodigis pecuniam, ipsis majora luxuriae ac libidinis instrumenta suppeditat: Deinde ære alieno obruti, exactionum gravissimarum tædio & fidei liberandæ defectu,

ad

ad quodvis facinus impelluntur. Præterquam quod fœneratores avaritiâ & nominis sui apud bonos infamiâ reipub. contaminant, tenuiorum sanguinem exsugunt, & quantum in illis est, ipsam beneficentiam tollunt. Quibus ex causis meritò legibus & auctoritate pub. reprimendi sunt: Quod Cato olim fecit, inde *asperior in fœnore coercendo habitus*, apud Livium lib. XXXII. p. m. 602. Zamoscius Poloniæ Cancellarius suprema voluntate prudenter illud commendabat proceribus regni his verbis: *Civibus pietatem erga patriam, observantiamque erga Regem commendo; ut luxum & discordiam fugiant quammaximè, & fœneratorum avaritiam, publico consensu coërceant, rogo.*

*Uti suas quisque res curemus*] Crebra est illa synthesis numeri autoribus, pro quotquot sumus, res nostras curemus. De qua Grammaticorum filii plura.

*Magistratum populo non creditori gerere*] Plinius in Paneg. *Consules oportet sic affici, ut se publicè magis, quàm privatim obligatos putent.* Inprimis magistratus fortè corruptus pecunia aut privato affectu, non connivebit licentiæ fœneratorum ac creditorum: ne connivendo augeat ac corroboret eandem.

*Magnitudinem animi in addendo non demendo reipub. ostendere*] Veluti duplex est mendi ratio medicis, per evacuationem &

50 JOH. LOCCENII COMMENTARIUS  
appositionem, vel detractionem & adjectionem. Sic Magistratus in curanda repub. potius hanc quam illam exercebit ad exemplum Artaxerxis, qui *multo regalius esse statuebat, adicere, quam adimere.* Vel sumtus superfluos minuet; victus honestè quærendi compendia & commoda publica augebit. *Vid. Cic. ad Attic. 6, 1.*

*Qui se in victoria licentius liberiusque, quam arctius fore credebant ]* Sic in bello Jugurth. *Milites soluto imperio, licentia atque lascivia corruerat.* Item: *Remoto metu, milites licentius laxiusq; sunt.*

*Si eadem studia artesq; juventuti erunt ]* Secundum remedium, studium nimirum juventutis, & artes, sumptus, luxum & libidinem exercendi, ut pestes publicæ & privatæ rei, prohibere; eam virrutibus ac labori adsuafacere. Sequentia paulò post verba firmant; *Sed uti pravas artes malasque libidines ab juventute prohibeas,* item paulo infra: *Juventus probitati & industrie, non sumtibus neque divitiis studeat.*

*Sapientes pacis causa bellum gerunt, laborem spe otii sustentant. ]* Idem est quod Aristoteles, Polit. 7, 14. dixit: - - - *Bellum esse pacis, laborem otii causa.*

*Acerba judicia invocat ]* Invocat pro vocat, compositum pro simplici, per enallagen. Ennius de meretrice: *Labris alium invocat,*

*vocat, cum alio cantat, invocat pro invitat, allicit.* Plura de hac voce ad Curtium in Indice Philologic.

*Crudelibus pœnis aut acerbis judiciis civitas vastatur magis quàm corrigitur.]* Elegantiâ in hanc rem Seneca lib. I. De Clementia cap. 22. 23. 24. De Sylla Lucanus lib. II.

*Sylla quoque immensis accessit cladibus ultor.  
Ille quod exiguum restabat sanguinis urbi  
Hausit; dumque nimis jam putrida membra  
recidit.*

*Excessit medicina modum, nimiumque secuta  
est,*

*Qua morbi duxere, manus, periere nocentes,  
Sed cum jam soli possent superesse nocentes.*

Philippus I. Dux Pomeraniæ à tumultuantibus quibusdam civibus offensus, ad omnium pœnam à suis amicis incitatus est. Sed ille respondit: *Malum esse porcum qui suos porcellos devoret, existimo gloriosius esse, subditos clementia & mansuetudine servari, quàm asperitate deleri.*

*Ne immerito cives patria expellerentur.]* Rectius Ciacconii meaque editio ex librorum scriptorum fide: *Ne merito c. p. e.* hoc est, ita reipub. constituisse & bonis artibus moribusque ornasse, ne cives ea committant, ob quæ merito patria expelli possint, ut etiam Ciacconius interpretatur.

*Retinuisse ab stultitia.]* Emphaticum hic verbum *retinuisse* pro repressisse, cohibuisse. Eodem usus Plautus *Aulular* 4, 1. Sallustius in bello Jugurth. Et Livius lib. X. p. m. 371. *Ni potentior alius metus insidens pectoribus retineret a fuga.* Lucretius lib. I. p. m. 27. *refrenare* dixit :

*Et pereunt, neque ab exitio res ulla refrenat.*  
Et Lactantius *Inst. Div.* lib. II. *Refrenat homines ab humanitate.*

*Non si flagitiis obsecutus, delicta perpessus, presens gaudium cum mox futuro malo concesseris.]* Non indulgendum delictis manifestis nec licentiæ habenti delinquentibus, cum lætitia eorundem, sed dolore ac malo reipub. laxandæ sunt; Sed talis ratio ineunda est, ut non solum propter delicta, sed etiam à delictis, quantum fieri potest, coerceantur. *Homines*: sic felicior ac tranquillior erit reipub. status. *Juvenalis Satyr. XIV.*

*Quem si revoces, subsistere nescit,  
Et te contempto rapitur metusq; relictis,  
Nemo satis credit tantum delinquere, quan-*

*tum*

*Permittas, adeò indulgent sibi latius ipsi.*

Metellus laudatur à Sallustio bell. Jugurth. cap. XLV. Quod prohibendo à delictis magis, quàm vindicando brevi exercitum confirmavit. *Corn. Dolabella* apud *Tacitum* A. 3. 68. 5. *A legibus delicta puniri. Quanto foris*

*to foris*



*eo foret mitius in ipsos, melius in socios, provideri, ne peccaretur.*

*Tibi terra & maria simul omnia componenda sunt.*] Facile patet, hîc metonymicè loqui Authorem, nimirum componenda Cæsari esse, quæ terra marique turbata sunt. Ita Cicero ad Atticum 8, II. *Omnes terras, omnia maria movere.* Et ad Ciceronis imitationem Lambertus Afcasfaburg. de Roberto Baldvini Flandriæ Comitibus fratre: *Exteras gentes bello laceffisse, terras ac maria concitasse.* Sic defendi potest Sallustii lectio contra Duzam, mutantem in terrâ & mari.

*Quippe res parvas tantum ingenium attingere nequit.*] Non quod magnos viros, quum opus est, verum etiam mediocrium functio dedecet; Sed dum illis intenti, quibus tamen alii reperiri possint, operam & tempus impendunt, ea quæ majoris momenti sunt, & ab illis rectius confici queunt, interea negliguntur. Hinc Aristoteles IV. Eth. cap. III. *Magnanimi esse, tradit, ut circa res magnas versetur iisq; se dignum existimet, non ex opinione aut fastu, sed quod revera illis dignus est.* Hoc etiam Themistocles de se jactavit (ut est in ejus vitâ apud Plutarchum) *Atbeniensem rémpub. ejus operâ uti debere non ad quavis negotia, sed ad maxima tantum.*

*Magna cura magna merces*] Merces illa, est publica utilitas, nominis existimatio, de-

54 JOH. LOCCENII COMMENTARIUS  
cus & fama, qua mente Seneca *laborem gloria  
genitorem esse* dixit. Et Maximinus apud  
Julium Capitolinum: *Quo ero major, eo plus  
laborabo, quo plus laborabo, eo major ero.*

*Provideas oportet, uti plebs largitionibus  
& frumento corrupta*] Hic Sallustius descen-  
dit ad *tertium remedium* de præda aut præmi-  
is inter milites victores distribuendis. Reme-  
dium tale est: Providendum esse; non, ut  
plebs largitione & publico frumento corrup-  
patur (velut quidam vir doctus hunc locum  
explicat) sed ut plebs, quæ hætenus largitio-  
nibus corrupta, otio & factionibus, indeque  
seditionibus se dedit, in posterum honestis  
negotiis occupetur: quibus ab otio, factione  
& tumultu abstrahatur. Hoc ex mente ho-  
rum verborum, & illorum quæ inf: epist. 2.  
exstant, latis colligere est, *plebs bonis negotiis  
impedita, malum publicum facere desinet.* Vide  
quoque Lipsium Elector I. 8. & Pontanum  
lib. 2. Amsterodami cap. 8. Bona verò nego-  
tia ac labor, victusque per hæc media quæsi-  
tus, sunt dulces pedicæ quibus velut ligatus  
populus quiescit, & metu mittendorum per  
sudorem partorum, discordiam ac bella civi-  
lia averfatur. Ad Aristot. 6. Polit. 5. Bodi-  
num de Repub. lib. 6. cap. 2. Prudens etiam  
hic monitum Forstneri in Tac. pag. 524. ed.  
Leid. *Egregia tranquillitatis publicæ conser-  
vanda ratio, occupatum tenere populum pasce-  
reque*

regue plebem Potentiores, honorum satietate, oppidani negotiationibus & mercatura, tenuiores videlicet querendi occasione subministratâ in officio continentur. Inde Pisistratus, quos in foro otiosè obermantes videbat, ad se vocatos his verbis interrogabat: Si boves aratores mortui sunt, de me alios cape; si semina non habes; de meo dentur tibi. Vide eundem ad Tacit. XII. 43. p. 216.

*Ab malo publico* ] Per malum pub. hic intelligit tumultum & discordiam civilem, quæ miscet, perdit aut turbat rempub. Sic in bello Catil. usurpat *Eos atque alios omnes malum publicum alebat.* Sisenna apud Nonium in voce comparaverunt ita: qui hoc malum pub. clandestinis consiliis comparaverunt. Quisquis collegit fragmenta Histor. Sallustii, hoc citat ex Sallustii Hist. LV. quum, si Nonio credimus, Sisennæ Hist. lib. IV. sit dictum.

*Si pecunia, quæ maxima omnium perniciēs est, usum atque decus demseris.* ] Loquitur hic de pecuniæ pravo usu, de quo mox plura.

*Magnis auctoribus auxissent.* ] Carrio magnis auctioribus autem mavult, ut est in Fabri & aliorum Codd. Quamvis & Prudentius lib. I. contra Symmach. ita, ut noster loquutus sit.

*Qui te semideam jactant auctoribus auctam.*

Ciacconius legit *Auctibus auctam*, ut veteres loquebantur; quod prætulerim.

*Omnesque victores divitias contempsisse, & victos cupivisse*] Idem ep. 2. *Sape jam audivi, qui reges, quæ civitates & nationes per opulentiam magna imperia amiserint, quæ per virtutem inopes ceperant.* Exemplo sint Xerxes, Croesus & Darius, qui opum cupiditate victi; Græci, Cyrus, Alexander potiore libertatis & gloriæ, quam opum amore, victores eorum fuisse. Percontantibus aliquando Spartanis, quam ratione ab hostium impetu se defendere possent, respondit Lycurgus: *Si pauperes maneatis, neque alius alio plus appetat, ut* notat Plutarchus in Lycurgo. Nimirum paupertas & frugalis vita magis est virtutis ac disciplinæ magistra, quam felicitas & abundantia; ex qua cetera vitia plerumque nascuntur. Quod etiam Romani compererunt. Unde Juvenalis sat. VI.

*Nullum crimen abest facinusque libidinis, ex quo*

*Paupertas Romana perit.*

Silius Italicus Lib. XI. pari modo :

*Luxus & insanis nutrita ignavia lustris*

*Consumtusque pudor peccando, unisque relictus*

*Divitiis probrosus honor lacerabat biantem*

*Desidiâ populum ac resolutam legibus urbem*

*Divina mortalis attingere non potest, nisi omissis pecuniæ & corporis gaudiis animo indulgeat*] Rerum mundanarum & corporis curam

anim

animi cultum sæpe impedit, præsertim si inmodica sit. Augustinus serm. 33. in Lucam: *Amor rerum terrenarum est viscus spiritualium pennarum: detrahatur cor & quasi agglutinatur ad terrena; ut serio studio ad superna & caelestia elevari nequeat.*

Et Claudianus lib. 3. de rapt. Proserp.

*Humanas oblimat copia mentes,*

Sallustius ep. 2. de rep. ord. *Ubi cupido divitiarum invasit, neque disciplina, neque artes bonæ, neque ingenium ullum satis pollet.*

*Gratiam gratificans*] Sic ep. 2. *Facinora facere.* Est Atticismus, cujus plura exempla collegit Berneccer. in Justinum II, l. 10.

*Domum aut villam extruere, eamque signis, aulæis aliisque operibus exornare, & omnia potius, quàm semet visendum efficere, id est non divitias decori habere, sed ipsum illis flagitio esse.*] Qui domum magis imaginibus & splendida supellectile, quàm se ipsos vel animos suos decore virtutis ornant, non sunt ornamentum, sed dedecus splendidæ domus. Nam ut Tullius. I. Offic. docet, *non domo dominus, sed domino domus honestanda est.* Socrates, teste Æliano Var. Hist. 14. 17. dicere solitus est: *Archelaum in domum suam quadraginta minas impendisse conducto mercede Zeuxide Heracleota, qui picturis eam exornaret, in seipsum verò nihil, unde hospites & peregrini è longinquis terris eò alliciebantur, ut ipsius domum*

*viserent; ut verò domus dominum, nemo acce-*  
*debat. Hoc est quod author dicit: Omnia po-*  
*tius alia, quam semet visendum efficere. Spado-*  
*ne quodam scelerato domui suæ inscribenti:*  
*Nihil ingrediatur mali. Diogenes dixit: Do-*  
*minus domus quonam ingreditur? Quod ne*  
*quis etiam sibi exprobratum putet, operam*  
*dabit, ut ipse sit optimum domus ornamen-*  
*tum, ad exemplum Curii & similium, de qui-*  
*bis Cicero in Paradoxis ita: Reviviscat Man-*  
*Curius aut eorum aliquis, quorum in villa ac do-*  
*mo nihil splendidum, nihil ornatum fuit, præter*  
*ipfos.*

*Quibus bis die ventrem onerare, nullam no-*  
*ctem sine scorto quiescere mos est.] Sallustius hic*  
*imitatus est Platonis locum, qui exstat in*  
*epistola ejus VII. ad Dionis propinquos,*  
*quem Cicero in lib. V. Tusc. Quæst. sic La-*  
*tinè vertit: Bis in die saturum fieri, nec unquam*  
*pernoctare solum, cetemque que comitantur huic*  
*vita, in eis sapiens nemo efficitur unquam, mode-*  
*ratus verò multò minus. Conferri cum his di-*  
*gni sunt Muretus Var. Lect. lib. IV. cap. XLI.*  
*& Caselius Paradox. Polit. cap. VII.*

*Ubi animum, quem dominari decebat, ser-*  
*vitio oppressere, nequaquam eo postea hebeti at-*  
*que claudo, pro exercitio uti volunt.] Post Ci-*  
*acconium Cl. Gronovius Observ. lib. II. cap.*  
*IV. pag. 105. vidit hunc corruptum locum*  
*ita ex MSS. emendandum esse: U. a. q. d. d. s. o.*  
*nequid-*

*nequidquam e. p. b. a. c. p. exercito u. v.* Sensus autem est: animum, quem corpori domina-  
ri decebat, servitio voluptatis oppressum, &  
postea hebetem atque claudum, frustra egre-  
giis rebus exerceri.

*Ne ut adhuc militia injusta aut inequalis  
sit, cum alii triginta, pars nullum stipendium  
faciat ] Tertium remedium vel modum, de quo  
jam sup. agere cepit, ut observavi ad illa ver-  
ba: provideas oportet, uti plebs largitionibus &  
frumento corrupta, hinc continuat, docetque  
quomodo provinciæ à vi & injuriis militum  
liberandæ sint, & ut militia sit justa & equalis  
atque ut premia per municipia & colonias militi-  
bus dividenda sint. Apud Romanos autem  
viginti ordinaria stipendia pedites, decem  
equites faciebant ( ut quoque moribus regni  
Svetiæ ) antequam in veteranorum ordinem  
admittebantur; & hæc dicebatur *militia justa*.  
Si transcenderent hunc numerum ( & quan-  
doque transcendebant ) aut si alii ad nume-  
rum non responderent, sed domi desiderent,  
nullumve stipendium facerent, *injusta & in-  
equalis militia* dicebatur. De qua fusè Putea-  
nus de Stipend. milit. Rom. cap. XVI.*

*Frumentum id, quod premium ignaviae fu-  
it, per municipia & colonias illis dare convenit. ]*  
Præmium militum Rom. præter alia, quoque  
frumentum erat, idque vel gratuitum, vel æ-  
stimatum, vel extra urbem in militia, vel in  
urbe

60 JOM. LOCCENII COMMENTARIUS.  
urbe datum. Hic intelligit in urbe, vel ur-  
banis militibus datum. Vid. Lips. in Admi-  
rand. 2, 10. & ad lib. 15. Annal. Taciti. Per  
municipia autem & colonias illis dari suadet,  
ut præmium emeritorum, vel incitamentum  
virtutis militaris aliis meritis.

*Quæ reipub. necessaria.*] Conclusio hu-  
jus epistolæ, cum modesta consilii authoris  
excusatione conjuncta.

*Vix satis apertum os aut lingua prompta  
videtur &c.*] Sensus horum verborum hic esse  
videtur: Plerique hominum ad judicandum  
satis ingeniosi sunt, aut simulant se esse; ma-  
gis tamen ad aliena facta & dicta carpendum  
expediti: ad hæc ipsis os non ita apertum, lin-  
gua non tam prompta ad effundendum est,  
quæ pectore meditati sunt, quin adhuc prom-  
tius & ardentius velint. Gemina his habet  
Xenophon lib: III. memorab. Socrat. Cæ-  
terum,

*Si recte facias, ne cures verba malorum:*

*Non est arbitrii nostri, quod quisque loqua-  
tur.*

Illud Johannis Sarisber: in proœmio Po-  
licratic. de calumniatoribus, huc quoque  
spectare videtur:

*Illis in linguâ mens est, tibi cor sit in aure,*

*Os patulum sit eis, auris aperta tibi.*

*Obice virtutis confringitur impetus oris.*

*Quæ*



IN SALLUSTII ORATIONEM I. 62

*Quae meditata pectore evolvat.]* In hac formula imitatus est Sallustius Accium, qui apud Nonium in v. componere hoc modo:

*Sic multi, animus quorum atroci vincit malitia est,*

*Composita dicta pectore evolvunt suo;*

*Quae cum componas facta dictis discrepant.*

*Reliquum est optare.]* Votum Authoris, ut omnia auspicio Numinis prosperè Cæsari eveniant, quo etiam secundam finit epistolam; ad quam inspice Notas.

---

JOH. LOCCENII

Commentarius

in

Sallustii Orationem

vel

Epistolam II.

de Repub: Ordinanda.

**S**Cio ego, quam difficile atque asperum factu sit, consilium dare Regi aut imperatori.] Ita Galba apud Tacitum I. Hist. *Svadere principi quod oporteat, multi laboris.* Ea difficultas & labor oritur ex tribus causis, ut hic docet Sallustius: I. ex consultorum copia 2. futurorum ignorantia. 3. bonorum consiliorum incerto eventus & successu. His Petrus Magnus Parmensis in

in præfatio docti libelli de Consilio, ubi etiam præsentem Authoris nostri locum ad testimonium vocat, *tres alias hujus difficultatis causas addit, à consilio ipso, & ab eo qui consilium dat, & ab eo cui datur.* Nam omnis consultatio veri quædam investigatio est, quod in profundo latere dicitur: & ab eo qui consilium dat, insignis quædam prudentia requiritur, quæ in paucissimos cadit: & plerumque ii, quorum opes in excelsis sunt, plus æquo assentatoribus gaudent, nec tam veram quam jucunda dicentibus aures præbent. Sed quum præclaris rebus omnibus hoc commune sit, ut arduæ sint, hoc nobiles & erectos animos à proposito non deterrebit.

*Consultorum copia*] Ut argumentum boni status publici, *Proverb. Salomon. 15, 22.* Princeps etiam multorum & singulorum consilia audire debet & solet: ut, eorum ponderibus cognitis, optima eligat.

*Neque de futuro quisquam satis callidus satisque prudens est.*) De voce *Callidus*, plura inf. suo loco. Quamvis autem futura incertant, eorumque eventum solus Deus præsciat, & in sibi gloriosum ac hominibus salutarem finem dirigere possit; Quod ipsi quoque gentiles non prorsus ignorarunt; tamen naturalia quædam, ac civilia futura divinare homo vel conjecturâ assequi ex suis causis potest. De qua re plura dixi ad illa Cornelii Nepotis

potis in vita Attici verba : *Prudentiam quodammodo esse divinationem.* Licet etiam futura contingentia aliter atque aliter evenire possint ; tamen nihil impedit, quo minus de futuris, quæ à nobis fieri possunt, consultatio instituat, eorum eventu soli Deo commisso.

*Sape prava magis, quam bona consilia prosperè eveniunt: quia plerasque res fortuna ex lubidine sua agit.* ] Non cæca fortuna, sed prepotens illa ratio, id est *Fatum*, ait Lipsius in Notis ad Politic. 3, 8, 19. ubi hunc Sallustii locum etiam adfert; vel, ut Christiani loquimur, *providentia divina*, humanorum consiliorum dispensatrix est. Causas autem, cur bona consilia quandoque infeliciter, & mala prosperè eveniant, lib. I. Dissert. de repub. ord. c. 17. discussi.

*Ut rempub. domi militiæque &c. cognitam haberem.* ] Notitia reipub. ut liquet, necessaria est rempub. aut ejus partem gesturo. Tullius III. de legib. *Senatori necessarium est nosse rempub. idque latè patet: quid babeat militum, quid valeat ærario, quos socios resp. habeat, quos amicos, stipendiarios, qua quisque sit lege, conditione, fœdere; tenere consuetudinem discernendi, nosse exempla majorum.* Tale quid auctor sibi quoque applicat: ne alienus esse videatur à consilio de rep. dando.

*Famam*

*Famam modestiamque meam post tuam dignitatem haberem.*] Ita Livius lib. 2. p. m. 67. *Post publicam causam privato dolore habito.* Aliàs authores junctim dicere scimus *posthabere, postponere, postputare.* Modestum, verò de se sensum author suspicioni arrogantiaè opponit.

*Lubet periculum facere.*] Hic *periculum facere* idem est, quod *periculum adire*, ut *inf. Periculum libertatis facere.* Eodem modo iurpavit Cæsar lib. IV. belli Gall. p. m. 45. *Ad hæc cognoscenda prius quam periculum faceret, idoneum esse arbitratus C. Volusinum, cum navi longa præmittit.* Et sic sæpe Tacitus, notante Ciacconio. Sed alibi in hac epist. Sallustius pro *periculum creare* accipit: *Occulta pericula neque facere, neque vitare bonis in promptu est.* Ut in conjur. Catil. c. 33. *Neque quo periculum aliis facerem.* Et Tacitus A. 13, 333. *Tanquam insonti periculum fecissent.*

*Tibi majorem in adversis, quam secundis rebus, animum esse.*] Quod etiam suis testimoniis firmant Suetonius in Julio passim, Lucanus lib. I. Vellejus 2, 41.1. Ut candens ferum adpersione frigidaè aquæ magis induratur; ita fortes & ignei animi adversis. De Othone Tacitus lib. II. Hist. *Rebus prosperis incertus, & inter adversa melior.* De Stilicone Claudianus:

*Major in adversis micuit.*

De Repub. Romanâ Tullius Offic. III. Respub.

Roma-

*Romana, Cannensi calamitate accepta, majores animos habuit, quàm unquam rebus secundis.* Cur autem res secundæ difficilior plerumque, quam adversæ ferantur; & quomodo res secundæ rectè ferendæ sint, in dissertationibus meis de Repub. Ordin. lib. I. cap. XVIII. & lib. II. cap. XIX. discutere conatus sum.

*Munificentiam tuam*] De eadem Sallustius conjur. Catil. c. 54. *Cæsar beneficiis ac munificentia magnus habebatur.* Et Vellejus 2, 41, 1. de eo: *Munificentia effusissimus.* Largitiones verò maximè in populum exercuit, captandæ auræ popularis causa. Vid. Appian. lib. II; bell. civ. Sueton. in Julio c. 10. 20. 26. 38.

*Nihil tam ex alto reperiri posse.*] Suspiciari possemus hîc cum Ursino legendum esse: *N. t. e. a. repeti p.* ut Tullius 3. Fam. 5. loquitur: *quoniam ex alto repetita sunt.* Recepta tamen lectio etiam stare potest. *Ex alto* idem quod *longè*, vel *ipsis principiis*, vel *intimis causis.*

*Quoque modo contra adversum consulem beneficia populi retineas.*] Per *adversum Consulem* hic quidam Pompejum, alii Lentulum, alii Marcellum accipi volunt. Vide hic Cœleri Notas ex Thyssii editione pag. 532. qui præfert his Marcellum, & quidem rectius: cum Oppius comment. belli Gall. circa fin.

& Suetonius in Julio consentiant, præsertim c. 22. ubi ostendit, quomodo Marcellus Cæsari obniscus sit. Per *beneficia populi* hic intelligit, ut Cæsaris absentis ratio in petitione Consulatus, ex voluntate populi haberetur, & provincias retineret. Hoc ipse Cæsar de se lib. I. belli civ. p. m. 128. affirmat, & expressè *beneficium populi R.* vocat in his verbis: *Doluisse se, quod populi R. beneficium sibi per contumeliam ab inimicis extorqueretur; ereptoque semestri imperio, in urbem retraheretur: cujus absentis rationem haberi proximis comitiis populus jussisset.* Et Suetonius in Jul. c. 25. *Ne sibi beneficium populi adimeretur.*

*Nobilitatis factionem disturbavit.*] Hic præmittit auctor quædam generatim de curanda repub. turbata; quæ postea per partes ex sequitur. De Cæsare Nobilitatis aut Equitum factionem disturbante, adi Suetonium in Julio cap. 1, 11. & alibi & Dionem Cass. lib. 32.

*In Pratura inimicorum arma inermis disjecit.*] Vide Suetonium in Vita Julii Cæsaris cap. 14, 16, 17.

*Ita lapsus est, ut hostibus tela in manus jaceret.*] Pompejum contra se armasse Cæsarem non uno in loco etiam Cicero scribit, in primis lib. VIII. ad Attic. ep. 3. 8. Talis est fructus pravæ æmulationis, ut, quibus viribus æmulus

emulus adversarium conficere parat, iisdem ipse saepe ruat.

*Quibus ille rebus rempub. conturbavit, iisdem tibi restituenda est.*] Vitia decessoris à successore corrigenda, bene constituta retinenda sunt. Pari modo Tullius quæ Appius in Provinciâ Asiaticâ male constituerat, emendavit, quâ causâ absque ratione offēdebatur Appius. *Ut, si medicus, cum egrotus alii medico traditus est, nasci velit ei, qui sibi successit si, quæ ipse in curanda constituerat, mutet ille;* Veluti Cicero ad Attic. lib. VI. ep. I. scribit.

*Senatoribus paucis*] Ex amplissimo Senatu, Pompejo, secundum consule, authore, lectis. Quod etiam noster tangit. Vid. infra plura ad ista verba: *Judicia tribus ordinibus tradita sunt.*

*Nosque his quidem legibus in servitute reliquit.*] Idem Seneca lib. V. de benefic. cap. XVI. *Pompejus eò redegit populum Rom. ut salvus esse non posset, nisi beneficio servitutis.* Et Plutarchus in vitâ Pompeji: *Eò miseriarum reciderat civitas, ut libertatis desperatione quaereret servitutem tolerabiliorem.* Q. Catulus apud Vellejum 2, 32, 1. *Esse quidem præclarum virum Cn. Pompejum, sed nimium jam liberæ reipub.*

*Judicia tribus ordinibus tradita sunt.*] Judicandi potestas primum, ex veteri lege Ro-

68 JOH. LOCCENI COMMENTARIUS  
muli, penes solum senatum erat, postea Sempronio lege à C. Graccho, Tribuno plebis, Senatui iniquiore, ad Equites translata est, qui per annos XL. vel, ut alii volunt, Liudicant. Deinde Sulla Dictator judicia senatoribus restituit, qui per annos decem, sed turpiter judicant ut Asconius Pedianus in Divinat. Cic. p. m. 6. notat. Tandem *tribunorum ordinibus* (ut noster author ait) nimirum ordini *Senatorio, Equestri & Tribunis ararii*, lege ab Aurelio Cotta ad populum latâ, tradita sunt. Tribuni ararii dicebantur, quod pecuniam, quæ tributim à civibus exigebatur ex arario in militum stipendium capiebant Pompejus autem legem promulgavit, ut ex centuriis & præcipuè amplissimo censu Senatores legerentur. Unde factum est, ut pauciores fierent Senatores, quum non omnes amplissimis opibus pollerent; donec equites per bella civilia ditiores facti, & sic è censu quoque lecti, eos numero superarent. Ad præter Manutium de Legibus, Rosinum Antiquit. Rom. VIII. cap. XXI. De istis tribunorum ordinibus Cicero lib. I. epist. XIII. ad Atticum parum honorificè sentit: *Ut primum, inquit, iudices confederunt, valde diffidere boni ceperunt. Non enim unquam turpior in ludo talarum confessus fuit: maculosi Senatores, nudi equites, tribuni non tam arati, quàm, ut appellantur, ararii, pauci tamen boni inerant.* Postea Julius Cæsar



Cæsar etiam tribunos ærarios amovit. Suetonius in Julio cap. XLI. *Judicia ad duo genera Judicum redegit, Equestris ordinis ac Senatorii ; tribunos ærarios, quod erat tertium, sustulit.* Fuisse autem judiciorum statum ætate Sallustii valde corruptum, ex sequentibus verbis & Ciceronis loco paulo ante allato, patet : quibus Cæsarem mederi monet.

*Idem illi factiosi regunt, dant, adimunt, quæ lubet ; innocentes circumveniunt ; Suos ad honorem extollunt. Non facinus, non probrum aut flagitium obstat, quo minus magistratus capiant.* ] Per factiosos, præcipuè Equites intelligit, qui reliquos judices numero superabant, & pro libidine sua, quæ volebant, agitabant; ubi semel à lege & bonis moribus recesserant. Confer. Bœcleri dissertat. de Judiciis p. m. 96.

*Forte atque alterius socordia.* ] Forte fortuna. Vid. init. ep. I. *Imperia fortunam donare,* & ibi Not.

*Tametsi à Sulpicio.* ] Lege cum Carrione *tametsi supplicio h. partes suas,* ita sensus clarior erit, & sequentia verba firmant ut & præcedentia.

*Cui omnia in victoria lege belli licuerunt.* ] Velut victoria abutentes sibi persuadent.

*Paucis interfectis.* ] Pauci videbantur Sullæ; quum tamen ex quorundam sententiâ, quatuor aut tria millia, ex Senecæ sententiâ

70 JOH. LOCCENII COMMENTARIUS  
septem millia civium tuerint. Ille lib. I. de  
Clementia cap. XII. sic loquitur: *L. Syllam  
appellari tyrannum quid prohibet? cui occiden-  
di finem fecit inopia hostium. Descenderit  
ceter dictaturam suam & se togæ reddiderit: quis ta-  
men unquam tyrannus tam avidè humanum  
sanguinem bibit, quàm ille, qui septem millia  
civium Romanorum contrucidari jussit? Quis  
quum in vicinio ad eadem Bellonæ sedens, exau-  
disset conclamationem tot millium sub glad-  
gementium, exterrito Senatu: Hoc agamus  
inquit, P. C. Seditiosi pauculi meo jussu occi-  
duntur. Hoc non est mentitus, pauci Sulla ve-  
debantur.* Atque sic ex mente Sullæ aucto-  
noster scripsisse videtur, vel in comparatione  
superstitum, quos beneficio quam metu retine-  
tinere eum maluisse, addit.

*Ceteros beneficio quàm metu retine-  
maluit.]* Sic in conjurat. Catil. noster cap.  
IX. de Romanis: *Beneficio magis quam metu  
imperium agitabant.* Et illud est firmius in  
perii, quam hoc munimentum.

*Cum Catone, L. Domitio.]* Coniicere  
hic legendum esse *cum Carbone L. D.* si Co-  
dicum fides accederet. Non enim Cato-  
nem, sed *Carbonem* hic interfectum esse, Plu-  
tarchus in Pompejo, Appianus lib. I. bel-  
civ. Vellejus 2, 26, 2. scribunt, & sic nost-  
sup. lib. I. *Interficiunt Domitium, Carbonem*

*Oppo*

*Opportunissima genera hominum.]* Car-  
rio emendat *importunissima g. b.* nisi prius  
ironicè forsan dicatur. Sed posterior lectio  
præferenda videtur.

*Cujus contumeliam homines ignavissimi  
vitâ suâ commutare volunt.]* Id est, ut tibi  
contumeliam & dedecus adferant, etiam  
vitâ suâ redimere & commutare velint. Cæ-  
sar ipse de se lib. 1. belli civ. p. m. 132. *Se  
non maleficii causa ex provincia egressum,  
sed uti se à contumeliis inimicorum defen-  
deret.* Tanta est quorundam prave æmu-  
lorum rabies, ut, dum se alterius dignita-  
te & eminentia obscurari putant, eam eti-  
am cum suæ salutis discrimine delere stu-  
deant.

*Periculum libertatis facere.]* Pro adire p. l.  
ut sup. jam notavi.

*In duas partes ego civitatem divisam  
arbitror, in patres & plebem.]* Agit hîc por-  
rò author de temperatione civitatis, sive de  
communi optimatum cum populo imperio,  
quomodo illud temperandum sit.

*Antea in patribus summa auctoritas e-  
rat, vis multò maxima in plebe.]* Per vim hîc  
intelligit *potestatem*, ut in bello Jugurth. c.  
41. *Plebis vis soluta.* Ita Cicero lib. III. de  
LL. *Potestas in populo, autoritas in Senatu.*

Inde Senatus *cessere*, *populus velle & jubere* dicebatur.

*Sæpius in civitate secessio fuit.*] Causas secessionis paucis comprehendit Sallustius conjur. Catil. c. 33. *Sæpe ipsa plebes aut dominantium studio permota, aut superbiam magistratum armata à patribus secessit.* Fufius eas Livius describit lib. 2. 3. 4. 6. & Florus lib. I. c. 23. 24. 25. 26.

*Semper nobilitatis opes deminuta sunt, & jus populi amplificatum.*] Quod ait, nobilitatis potentiam SEMPER deminutam, plebis jura aucta esse, hoc absolute acceptum stare nequit: Unde etiam in sequentibus, ad certum tempus restringit, ut recte notavit Boeclerus ad Tacitum, l. 3.

*Plebes eo liberè agitabat, quia nullius potentia super leges erat.*] Verum est libertatis firmamentum, si illa morum disciplinam concordiamque munita ac legibus circumscripta, nec supra eas sit. Vide Platonem epist. VIII. De Capuanis Livius lib. XXIII. *Inter corrupta omnia, licentia plebis sine modo libertatem exercentis.* Confer meas Dissertat de Ordinanda Rep. 4, 15. si tanti sint.

*Bonam famam factisque fortibus nobilis ignobilem anteibat.*] Ita nobiles genere suo se dignos præstant, si honestam famam factisque fortibus se claros efficere studeant. Secus atque nobiles inertes, otio solum & voluptati se traden-

traden-

tradentes: in quibus, præter nudum nobilitatis nomen, nihil est additamenti, ut inf. noster ait. Eadem mente Juvenalis Satyr. VIII.

*Quis enim generosum dixerit hunc, qui Indignus genere, & præclaro nomine tantum Insignis?*

*Capere alienas opes petere* ] Nimirum expulsi agris. Publicæ & singulorum securitatis interest, salvas cuique possessiones legitime acquisitas, ab aliorum circumventionem, vi & injuria relinqui: ne periculum aut jactura propriarum fortunarum eos ex desperatione ad invasionem alienarum impellat, vel libertatem venalem faciat.

*In artes vitasque varias dispersata.* ] Vitæ hic pro *victus generibus* aut institutis vitæ accipiuntur; uti Græcis βίῃ, etiam pro *victu* accipitur. Vide Casaubonum in Athenæum lib. XV. cap. V. Gronovium de sefertis 2, 7.

*Additis novis civibus.* ] Hic auctor agit *de plebe renovanda.* Novos cives addi veteribus s'vadet: ut omnes expergiscantur ad libertatem rectè tuendam. Augustus tamen Civitatem Romanam parcius dedit; causam habes apud Suetonium Augusto C. XL. Num verò exteris promiscuè civitas danda sit, fuscè discutit Forstnerus in Tacitum XI. 23. quem

74 JOH. LOCCENII COMMENTARIU  
adi. *Tres autem modos continendi novos cives  
cum veteribus ostendit.*

*Permixtos cum veteribus novos in coloniis  
constituas ] Primus modus continendi novos  
cives cum veteribus hîc ostenditur, ut in  
Coloniis novi cives constituentur, & veteribus  
ibi permisceantur : Qui sint velut custodia  
& frenum illis, ne quid moveant : & ut  
novi cives coloniis, velut vinculo, sub im-  
perio Romano constringantur. Ita Tacit-  
us lib. XIII. Annal. *Colonia deducitur in a-  
gros, subsidium adversus rebelles, & imbuendis  
sociis ad officia legum.* Sallustius geminam  
hujus rei utilitatem addit : *ut res militaris sit  
opulentior, novis civibus, bello subactis, au-  
cta, & istic in promptu ; & ut plebs bonis  
negotiis [in colendis agris, extruendis re-  
ctis, invehendis artibus] impedita malum  
publicum [tumultum & seditionem] facere  
desinat.* Plura Coloniarum commoda ha-  
bes à Lipsio observata Magnitudinis Ro-  
manæ lib. I. cap. VI. & Politic. 4, 7, 15. mo-  
ribus etiam hodiernis digna.*

*Bonum publicum etiam privatim usui est.]*  
Quamvis veteribus civibus, ac præsertim  
nobilibus, grave onus novorum civium vi-  
deri possit, ut ostendit author, sermonibus  
eorum & odio exponendum, regnum de-  
nique ex libera civitate futurum clâman-  
tium,

tium, ubi unius (Cæsaris) munere multitudo ingens in civitatem pervenerit; tamen magis hic bonum publicum respiciendum esse docet, quàm privatam nobilium gratiam aut utilitatem. Imò publicum bonum etiam privatim usui esse, dum omni populo commune est. Idem suo dicto confirmat Livius lib. XXVI. *Respublica incolumis privatas res facillè salvas præstat; publica perdendo, tua nequicquam servas.*

*Summa ope nisi pro nobilitate.*] Elegans & cum emphasi, *nisi pro nobilitate*; idem quod sedulò moliri & laborare pro nobilitatis commodo & honore, cui contrarium *contra quem nisi*, de quo mox. Sic Ovidius de Ponto 2, 2.

*Nunc tua pro nobis nitatur gratia Lapsis*  
*ibid. 3, 1.*

*Et nisi pro me nocte dieque decet.*

*Nisi illi authores fierent.*] Nisi nobiles præcipui svasores rei agenda fierent, nota dictio Latinis *Authorem esse* aut fieri.

*Maximum beneficium multis mortalibus dari.*] Nimirum Italiæ civitatem. Vellejus Paterculus 2, 14, 1. *Tum conversus Drusi animus, quando bene capta male cadebant, ad dandum Italiæ civitatem.*

*Actu ne per tantam gratiam solus rerum potiretur, contra eum nisi: sua ipsius consilia*

76 JOH. LOCCENII COMMENTARIUS  
*silia disturbaverunt.*] Confer Vellejum de  
Druso 2, 13, 2. Et ad eum notata à Bœclero,  
ubi etiam hunc Sallustii locum laudat; i-  
tem observata à Clapmario de Arcanis re-  
rum pub. 6, 14.

*Tibi amici & multa praesidia paranda sunt.*] Imò boni & fidi amici vera imperii praesidia sunt, ut Micipsa apud Sallustium bell. Jugurth. cap. X. ait, qui *officio & fide* parantur.

*Pericula facere.*] Hic idem quod *creare pericula*, ut in conjurat. Catilin. cap. XXXIII. *Neque quo periculum aliis facerem.* Et Tacitus Annal. 13, 33, 3. *Tanquam insonti periculum fecissent.*

*Hostem adversum opprimere, strenuo homini haud difficile est, occulta pericula neque facere neque vitare bonis in promptu est.*] Quamvis leo longe majoribus polleat viribus, quam vulpes; quia tamen vis illius aperta est, melius vitari potest; at vulpes fraude obrepit, antequam sentias; ita occulti insidiatores. Tacitus Hist. 4, 24, 2. *Aperta odia armaque palam depelli; fraudem & dolum obscura, eoque inevitabilia.* Seneca: *Pejora sunt odio tecta quam aperta.* Publius: *Apertè cum est malus hostis, tunc demum est bonus.*

*Uti colantur boni mores, & concordia inter veteres & novos coalescat.*] Alter modus continendi & jungendi bene novos cives cum veteribus, est *Cultus honorum morum, &*



*concordiæ studium.* Ita Tiberius apud Tacitum Annal. II, 24, 9. *Exteros cum indigenis, moribus, artibus affinitatibus misceri, dixit; nec tam externis moribus, quàm præcipuo animorum cultu, de quo noster.* Is cultus etiam concordiæ studium instillat, & domi inter se ipsos, & foris adversus hostem. Si verò cives non colant bonos mores & virtutis studium, suis ipsi vitiis ruunt. Si dissideant, adversus inimicos infirmi sunt & devictu faciles. De priori multa Aristoteles III. Polit. VI. & VII. Politic. I. & II. Posterius ipsis conditæ Romæ initiis Romulus observavit, dum Sabinos reconciliatos in civitatem Romanam accepit: ita rem concordiam coaluisse; scribit Livius lib. I. Sic tandem omnes ferme à Romanis devictæ gentes coaluerunt. Lucanus lib. I. v. 511. de Roma:

*Urbem populis victisque frequentem  
Gentibus, & generis, coëat si turba, capacem  
Humani.*

*Si Studium pecuniæ minueris.] Tertius modus, continendi novos cives cum veteribus ut nimia divitiarum aestimatio & Studium tollatur aut minuat. Justos rei faciendæ modos non quidem damnat author, sed nimium pecuniæ studium, quod mox cupiditatem divitiarum; paulo inf. auctoritatem pecuniæ, item decus pecuniæ, atque uno verbo avaritiam vocat. Unde inf. ait: Si pecunia decus ademeris*

78 JOH. LÖCCENII COMMENTARIUS  
*cus ademeris , magna illa vis avaritia boni  
moribus vincetur. Nimum autem pecunia  
studium tolli aut minui , privatim & pu-  
blicè prodest , & ad bonos mores facit. Mi-  
nui autem potest, si fœnus , sordidi quæstus,  
& mala compendia coërceantur ; si luxus  
cohibeatur , ejusque materia ; modusque  
sumtuum circa ædificia, convivia, vestes le-  
gibus ponatur ; si non ex opibus, sed digni-  
tate magistratus, Senatores & judices creentur.  
de qua re inf. plura.*

*Ubi cupido divitiarum invasit ; neque di-  
sciplina, neque artes bonæ, neque ingenium ul-  
sum satis pollet ] Pecuniæ studium est melio-  
ris studii impedimentum. Virtuti & Deo  
nunquam charus , cui charæ opes ; sunt ver-  
ba Lipsii ad hæc Sallustii Politic. 4. II. 137.*

*Sepe jam audiivi , qui reges , quæ civitates  
& nationes per opulentiam magna imperia  
amiserint qui per virtutem inopes ceperant ]  
Vide jam observata ad. Ep. I. verba : Omnes  
Victores divitias contempsisse , & victos  
cupivisse. Quibus adde veterum Germano-  
rum exemplum , qui olim bellicosi & felices  
fuere , dum pauperes erant ; Sed post-  
quam Romanorum & Græcorum mores , &  
opum studium irreperunt, non solum mol-  
les redditu, sed etiam servitute à Romanis  
pressi sunt, ut notat Cluverius antiq. Ger-  
man. lib. I. cap. XVIII. pag. 161.*

*Gloria*

*Gloria industria alitur, ubi eam demseris, ipsa per se virtus amara atque aspera est.*] Expressit hoc Author ex Platonis lib. VIII. de Repub. Quod Tullius lib. I. Tusc. Quæst. ita Latinè reddidit: *Honos alit artes, omnesque incenduntur ad studia gloria, jacentque ea semper, quæ apud quosque improbantur.* Item Ovidius lib. II. de Ponto eleg. II.

*Non facile invenies multis in millibus unum,*

*Virtutem pretium qui putet esse sui.  
Ipse decor recti, facti si premia desint,  
Non movet, & gravis pœnitet esse probum.*

Plura in hanc rem veterum dicta nota sunt, quæ docent: gloriam, decus & honorem, rectâ viâ & cum modo appetere, generosi esse animi, & ad virtutem ac res præclaras aspirantis argumentum, & in aliis, & juvenibus præsertim haut aspernandum. Veteribus unum ex recentioribus addam, nimirum Caselji ex libro de Nobilitate, qui in paucorum manibus est, verba. *Quidni inquit, qui magno animo sit & virtutis beneque merendi studio inflammatus, ut laudem & gloriam, sic & ipsa premia ambiat? Nam quod quis dicat, virtutem se ipsa contentam, & ipsam sibi premium, itemque alia & magnificè & verè inventa & prodita à sapientibus, ea ad*  
Philo-

*Philosophos, & vite peritos atque saturos, multo-  
que perfectiores pertinent, quam quos civilis  
consuetudo producat. Idem ibid. Qui floren-  
te aetate nec laudis cupiditate, nec premiorum  
adspectu perstringatur, in ejus animo lucem vir-  
tutis & desiderium res praeclaras gerendi vix un-  
quam exoriri existimem.*

*Ubi divitiarum claræ habentur, ibi omnia bo-  
na vilia sunt. ] Sic in Conjur. Catilin. CXII  
Postquam divitiarum honori esse capere, hebescere  
virtus capit. Plato lib. V. de Legibus idem  
ante dixit, negavitque divitem revera felici-  
tatem esse, nisi & idem sit vir bonus. Horatius  
in eandem sententiam.*

*Locum virtutis deseruit, qui*

*Semper in augenda festinat & obruitur re.*

Plura passim obvia non cumulabo. Inspice  
tamen quasdam respub. & veteres & hodi-  
ernas, divitiis omnia postponentes, earum  
que fatum.

*Judices à paucis probari, regnum, ex pe-  
cunia legi inhonestum. ] Post modos continentia  
veteres & novos cives, nunc agit de rectè consti-  
tuendis iudicibus & magistratibus. Quæ de pe-  
cuniæ studio & auctoritate minuenda tan-  
diligenter hactenus monuit, eò etiam spe-  
ctant: ut honores non ex opulentia aut cen-  
su, sed dignitate, i. e. in eos quicumque illi  
ob virtutem ac prudentiam digni sint, con-  
ferantur. Quod autem hinc iudices à paucis  
probari.*

*probari, regnum esse, dicit, intelligit equites, qui tunc quoque judices constituebantur, ob regnum eorum & dominationem, à Floro quoque 3, 13, 3. notatam. Ex censu vero vel pecunia eos legi, nulla vel exigua virtutis ratione habita, in honestum esse ait. De hoc suæ ætatis vitio Seneca pater lib. II. controv. Censu in foro judices legit. Hodie etiam sæpe census solus aut favor dat honores, sed malo more & exemplo.*

*Omnes primæ classis judicare placet, sed numero plures, quam judicant.]* Tempore Cæsaris & Sallustii tres fuere Judicum classes vel decuriæ, ut vocant Suetonius in Augusto cap. XXXII. & Plinius lib. XXXIII. cap. II. Quum autem illæ institui cæpissent ex censu, ut paulo ante dictum est, & ex equitibus non pauci iique pravi & factiosi per bella civilia opulentiores & potentiores ipsis etiam senatoribus essent facti, accidit ut in prima classe Senatores pauci, multi equites essent, adeoque judicandi vis præcipua penes hos solos esset.

Quærit ergo Sallustius rationem modumque, quo Senatui restitui sua auctoritas possit, & ostendit, se nihil melius dispicere, quam *si omnes quidem primæ classis judicent, sed numero plures, quam judicant.* Ita nimirum, ut plures ex ordine Senatorio in primam classem adsiscantur. Hanc interpretationem

firmant sequentia inf. verba : *Duabus rebus posse confirmari Senatum puto, si numero auctus &c.* Item: *Homines nobiles cum paucis Senatoriis*, statim subiicit: *Verum ubi numero Senatorum aucto.* Confer Schefferi Exercit. Politic. XI. § 22.

*Neque Rhodios unquam judiciorum penituit, ubi promiscue dives & pauper de maximis rebus juxta ac de minimis disceptat.* ] Hoc Rhodiorum exemplo ostensum it auctor, quod, etiam si apud eos non ex solis opibus judices legerentur, sed æqualitas divitum & eorum qui censu minore essent [*ἰσότης* vocat Polybius in Excerpt. Legat] in jure dicendo observaretur; tamen eorum judicia bene constituta essent.

*Ut ex confusis quinque classibus forte centurie vocarentur.* ] Recte Duza pro *forte* legendum vidit *forte*. Et sic vetus Codex Bibliothecæ Upsal. habet. Voluit Gracchus ex permixtis quinque classibus centurias forte evocari: ut sic coæquati dignitate & opibus, virtute solâ se invicem anteirent. Adi Nicol. Grucchii de Comitibus lib. II. cap. IV.

*Perinde omnes res laudantur atque appetuntur, ut earum usus est.* ] Bona à bonis laudantur & appetuntur, veri usus, mala à malis mali usus causa. Aristotel. I. Eth. I. & 8. Eth. 2.

*Malitia pramiis exercetur: ubi ea demeretur.*

feris, nemo gratuito malus est.] Ita Cicero pro Roscio: *Sic vita hominum est, ut ad maleficium nemo conetur sine spe atque emolumento accedere.* Plura Casaubonus in Persii Satyr. III. pag. 254. & 255.

*Avaritia, bellua fera, immanis intoleranda*] Verus avaritiæ character, qualis etiam apud Claudianum de quarto consulatu Honorii:

*At sibi cuncta petens, nil collatum cupido.*

*In jecur & tractus imos compulsa, recessit.*

*Quæ velut immanes reserat, dum bellua rictus,*

*Expleri pascique nequit.*

Boëthius lib. IV. de consol. Philosoph. pros: II. & Basiliius homil. X. Hexaëmer. avaritiam *upo* comparant. Confer etiam Sallustium de Conjur. Catil. cap. X. XI.

*Si virtute satis valerent, magis æmuli bonorum, quam invidi essent.*] Nemo alterius virtuti invidet, qui confidit suæ, inquit Cicero philipp. X. Boni malunt æmulari vel imitari alienam virtutem, quàm invidere Alcimus Aritus ad Fuscinam sororem:

*Non ulli candida virtus*

*Invidet; invidiæ quanquam est subjecta malignæ.*

*Quæ & ipsius Davidis Psal. XXXV. 17. & Platonis in Timæo sententia est. Ovid. lib. II. Metamorph. fab. XII. Invidia domū in vallibus imis, se carere,* scribit. *Qua imagine adumbrare*

84 JOH. LÖCCENII COMMENTARIUS  
voluit, non erecti & verâ virtute præditi; sed  
abjecti, obscuro, pravique animi homines  
solere bonis invidere. Quod etiam Livius lib.  
XXXV. confirmat: *Nulla, inquit, ingenia tam  
prona ad invidiam sunt, quam eorum qui genus  
ac fortunam suam animis non æquant: quia vir-  
tutem & bonum alienum oderunt.* Exemplum  
de Mucio nimis invidio elegans existat apud  
Macrobius lib. II. Saturnal. cap. II. Quum  
Publius Mucium vidisset solito tristior:  
*Ante Mucio, inquit, nescio quid incommodi ac-  
cessit, aut nescio cui aliquid boni.*

*M. Bibuli*] Qui Cæsaris collega erat, ab  
illis qui suspectam habebant Cæsaris poten-  
tiam, adversarius Cæsari oppositus; Sed non  
fatis idoneus, calliditate & autoritate de-  
stitutus. Vid. Appian. lib. II. belli civ. Sve-  
ton. Jul. cap. XIX.

*Quid ille audeat, cui consulatus maxi-  
mum imperium maximo dedecori fuit.*] Quam  
parum fortis, prudens & felix in suis moliti-  
onibus adversus Cæsarem, & in consulatu  
suo Bibulus fuerit, sequens exemplum osten-  
dit. Quum Cæsari in lege agraria ferenda,  
vel agro Campano viritim dividendo ob-  
nunciasset, expulsum est foro, fascibus fractis,  
& à populo indignè tractatus, etiam stercore  
perfundus, ut refert Plutarchus in Pompejo:  
qualis solet esse insania plebis irritatæ & motu  
sævientis; cui furor etiam obvia quævis ad

**nocen-**



nocendum aut probrum inferendum mini-  
 strat. Bibulus autem, quod Cæsaris actio-  
 nes magis vellet quam posset impedire, per  
 majorem anni partem se domi tenuit: quo  
 facto, dum augere vult invidiam Collegæ,  
 auxit potentiam, ut refert Vellejus 2, 44, 5.  
 Nam Cæsar ex eo tempore unus omnia in re-  
 pub. & ad arbitrium administravit: ut non  
 nulli urbanorum hominum, quum quid per  
 jocum testandi gratia signarent, non Cæsare &  
 Bibulo ( ut moris erat, acta tempore duorum  
 consulum signare ) sed Julio & Cæsare cons.  
 actum scriberent, uti testatur Suetonius in  
 Julio cap. XX.

*An L. Domitii magna vis est? cujus nullum  
 membrum à flagitio aut facinore vacat. ]* Ex re-  
 liquis Cæsaris adversariis hic porrò mentio-  
 nem facit L. Domitii & Catonis. L. Domi-  
 tius Cn. Domitii Ænobarbi filius fuit, in  
 quem exstat jocus Licinii Crassi apud Sueto-  
 nium in Nerone cap. II. *Non esse mirandum,  
 quod anciam barbam haberet, cui esset os ferre-  
 um, cor plumbeum.* Quibus verbis hominis  
 impudentia & stupor notabantur. L. Domi-  
 tius autem à Tullio lib. VIII. ad Attic. ep. I.  
*Stulticia* notâ perstringitur, à Suetonio pa-  
 rum *constans* & ingenio truci fuisse dicitur.  
 Hic Prætor C. Cæsarem, abeuntem consulatu,  
 quem adversus auspicia legesque gessisse exi-  
 stimabatur, ad disquisitionem Senatus vo-  
 cavit,

cavit, mox consul imperatorem Cæsarem ab exercitibus Gallicis retrahere tentavit; Successorque ei per factionem nominatus, principio civilis belli ad Corfinium captus est. Inde dimissus, Massilienses obsidione laborantes, quum adventu suo confirmasset, repente destituit, acieque demum Pharsalicâ occubuit, ut refert Suetonius d. loco quæ verò Sallustius de L. Domitio adiicit, quod nullapars corporis ejus à turpitudine vacet &c. eadem extant in Declamat. in Ciceronem, quæ Sallustio tribuitur, ut jam alii notarunt.

*M. Catonis ingenium versutum, loquax, callidum haud contemno*] *Callidum* hic pro prudenti, solerte, exercitato Sallustius accipit, ut alibi, præcipue initio hujus epistolæ: *Neque de futuro quisquam satis callidus satisq; prudens est.* Ita Cicero I. Tusc. Quæst. *Callidissimo artificio natura fabricata est.* Idem de nat. Deor. lib. III. (ubi simul *versutos* describit: *Versutos eos appello, quorum celeriter mens versatur; Callidos, quorum tanquam manus opere, sic animus usu concalluit.* Hæ autem sunt mediæ voces, ut & *loquax* pro disertio, velut Sallustius in coniurat. Catilinar. cap. V. de Catilina: *Satis loquentia, sapientia parum.* Hisce mediis & æquivocis dictis author in gratiam Cæsaris tam frigidè laudat Catonem, ut ea laus parum à vituperatione absit. Verius de eo elogium Conjur. Catil. cap. LIV.

*Virtus, vigilantia, labor apud Græcos nulla sunt quippe cum domi sua libertatem per inertiam amiserint.*] Græci, depositis bellis, animos ad otium, ludos & delicias in pace, converterunt: qui rebus secundis & voluptate, ut fieri solet, fracti, libertatem suam, ut olim non amplius tueri potuerunt. Pulchrè de hac re Horatius lib. II. epist. 1. ad Augustum:

*Et primum positis nugari Græcia bellis  
Cepit, & in vitium fortunâ labier equâ;  
Nunc athletarum studiis, nunc arsit equorum.  
Marmoris aut eboris fabros aut aris ama-  
vit.*

*Suspendit pictâ vultum mentemque tabellâ;  
Nunc tibicinibus, nunc est gavisâ tragædis;  
Sub nutrice puella velut si luderet infans,  
Quod cupide petiit, maturè plena relinquit.  
Quid placet aut odio est, quod non mutabile  
credas?*

*Hoc paces habuere bonæ ventique secundæ.*

Cornelius Nepos in Thrasybulo de iisdem: *Jam tum illis temporibus fortius pro libertate loquebantur, quam pugnabant.* Ad quæ verba vide Notas meas; & simul hic fructum profundæ pacis & quietis non rectè usurpatum.

*Reliqui de factione sunt inertissimi nobiles, in quibus, sicut in statua, præter nomen nihil est additamenti*] Lipsius lib. I. Var. Lect. cap. IX. & Epistol. Quæst. III, V. hunc locum, antea corruptum ita restituit & emendavit;

88 JOH. LOCCENII COMMENTARIUS  
cujus hæc mens est: Ignavos nobiles, in  
quorum dissolutâ vita nullæ vires aut nervi  
insunt, statuis similes esse: in quibus, præter  
titulum ejus, cui & à quo ponitur, nihil æsti-  
matione dignum invenias. De Statuarum  
inscriptionibus & titulis plura observavit E-  
mundus Figrelus in de Statuis cap. XXVII.  
XXVIII. Utitur autem Sallustius emphaticâ  
voce *additamenti* [ut quoque inf. *additamenti  
factionis*] quæ alioqui accessione vel manifes-  
tam signat. Æsopus de eleganter sculptâ  
statua: *Pulchram quidem esse, sed cerebrum non  
habere.* Et Democritus apud Stobæum eclog.  
V. *Simulacra artificiosa & bellè ornata ad sui  
quidem spectaculum alliciunt, sed corde carent.*  
Hujusmodi statuis comparari possunt gene-  
re, titulis, vestibus & externo splendore con-  
spicui, sed ingenio aut mente stupidi: qualis  
erat Claudius Imp. de quo Seneca in ludo  
de morte Claudii: *Nec cor, nec caput habet.*

*L. Posthumius & M. Favonius.*] Hi quo-  
que Cæsaris æmuli & adversarii fuere. Vid.  
Plutarch. in Catone & Bruto.

*Quasi magna navis supervacua onera.*] Admodum falsè Sallustius Posthumium &  
Favonium ut inutilès homines supervacuis  
navium oneribus, quorum non magna ja-  
ctura sit, comparat. Sic Deianira Herculis  
uxor, quum adducta ab eo esset Iole Euryri  
filia, quam amabat Hercules, ait, *se eam in do-*

*rum,*

IN SALEUSTII ORATIONEM II. 87

*neum, ceu navita, onus & mercem noxiam, animo suo accepisse, apud Sophoclem in Trachin.*

*De Senatu.* ] Pergit author agere de *Senatu melius constituendo*, præmissis generali monito & digressionem de bonorum consiliorum fructu, malorum detrimento.

*Omnia regna, civitates, nationes usque eò prosperum imperium habuerunt, dum apud eos vera consilia valuerunt.* ] Ita Virgilius II. *Æn.* de Argolicæ gentis rege & regno:

*Dum stabat regno incolumis regnumque vige-  
bat*

*Consiliis*

Et ad imitationem Maronis Claudianus de Roma:

*Armatis quondam populis, patrumque vige-  
bam.*

*Consiliis.*

Seneca de clementia 1, 3. de populo Romano & Cæsare quoque nervosè: *Immensa hæc multitudo unius (Principis) anima circumdata, illius spiritu regitur, illius ratione flectitur, pressura se ac fractura viribus suis, nisi consilio sustineretur.*

*Ubicunque timor, gratia voluptas ea corrumpere.* ] Quum timor servilia vel obnoxia, gratia placentia, voluptas levia & temeraria consilia dictet, nihil mirum est, inde rem pub. præcipitari. Sit ergo *animus in|consulendo liber, neque delicto neque libidini obnoxius; ut*

90 JOH. LOCCENII COMMENTARIUS  
us ; ut monet Cato apud Sallustium in con-  
jurat. Catilin.

*Cuiusque in sua civitate amplior illustri-  
orque locus, quam alius est, ei magnam curam esse  
reipub ]* Veluti capiti vel animo est membro-  
rum & totius corporis cura.

*Tanto in adversis asperius magisque anxie  
agitat ]* Quia adversa credit intuta, ut Tacitus  
loquitur Annal. 12, 36, 1. & ne per ea gloria,  
libertatis, aut divitiarum jacturam faciat aut  
periculum adeat, veretur. Quisque vero mi-  
nus anxiam rei suæ custodiam optat.

*Ubi plebes senatui, sicut corpus animo obedit,  
ejusque consilia exsequitur, patres consilio valere  
debet, populo supervacanea est calliditas ]* Ut a-  
nimi est regere corpus, corporis obedire ani-  
mo ; & ut oculi, non auris est, videre ; auris,  
non oculi audire : ita magistratus est, perspi-  
cere ac imperare, quid in publicam rem sit,  
& cum suis amicis in medium consulere : po-  
puli vero est, imperata & consilia exsequi po-  
tius, quam rerum civilium momenta scrupu-  
losè scrutari, aut callidè interpretari, aut con-  
tumaciter detrectare. Si secus fiat, caudam se-  
quitur caput, ut est in fabula serpentis. Ari-  
stoteles lib. III. Politic. caput IV, recte: *Pru-  
dentia imperantis propria & sola virtus est, sub-  
diti autem vera opinio & existimatio.* Sic Tacitus  
scitè: *Superioribus & patribus summum rerum  
judicium, populo obsequii gloria relicta est,* An-  
nal. VI.

*Ea magis fortibus consiliis, quam bonis præliis patrata sunt* ] Respicere hic videtur auctor bellum Punicum, præcipue secundum, in quo ferme ad extrema redacti Romani, tamen animis steterunt, magis consilii copiâ, quam armorum vi. Florus lib. II. cap. VI. *Adversus hostem toties victorem (Annibalem) tam callidum, non virtute tantum, sed suis etiam consiliis pugnare oportebat.*

*Factio contra hostes parabatur* ] Ita noster conjurat. Catil. cap. IX. *Simultates cum hostibus exercebant; cives cum civibus de virtute certabant.* Quod est optimum certamen & magis pro patriâ, quâ potentiâ suâ pugnare.

*Contra homines nobiles* ] *Codex* vetus Lugdunensis anni MDIX, & Basiliensis ejusdem anni; & alii libri veteres, teste Carrione habent *contra ea.* De qua formula plura notavi ad Cornelium Nepotem.

*Ex aliena libidine huc atque illuc fluctuantes agitantur* ] Ex Equitum libidine, qui dominationem in cæteros exercebant. Florus 5, 17, 3. *Equites Romani tanta potestate subnixi, ut fata fortunæque principum haberent in manu* Horum factione & potentia oppressi senatores, non rectâ via procedebant in decernendo; velut navis fluctibus huc atque illuc agitatus; sed eorum arbitrio serviebant. Contra fortitudo & constantia in consiliis & sententiis dicendis maximè laudatur. Vide Lips. Politic. III, VIII.

93 JOH. LOCCENII COMMENTARIUS  
III, VIII. & in Notis; Kirchner. de officio  
Cancellarii 2, 4.

*Silibertas æqua omnium.*] Si tam Sena-  
torum quam Equitum libertas in dicendo æ-  
qualis esset, nec patres opprimi se à nobilita-  
te paterentur, potentior respub. quàm nobi-  
litas esset.

*Aut sententia obscurior esset.*] Obscurior,  
h. e. tectior, nec tam aperta esset, quàm est, si  
vocate feratur. Obscurum opponitur aperto,  
uti notum est. Cicero Fam. ep. 3. 10. *In ob-  
scuro odio apertas inimicitias.* Mox suadet Sal-  
lustius sententiam *per tabellam ferri quæ recta*  
esset; uti mox pluribus notabitur.

*Sit sententia eorum à metu libera, ita oc-  
culto sibi quisque alterius potentia charior erit.]*  
Horum verborum sententia hæc esse videtur:  
Quia exæquari gratiam Equitum & Senato-  
rum difficile est, ob diversum utrorumque  
statum opes & animos, si jus dicentes senato-  
res sententiam à metu equestris potentiæ libe-  
ram ferrent, interno sibi & mutuo amore ma-  
gis devinciri, quàm nobilitatis potentiâ ab-  
ferreri posse. Vid. inf. Notas ad illa verba:  
*Tabella obtentui erit.*

*Libertas juxta bonis & malis, strenuis &  
ignavis optabilis est, verum eam plerique metu  
deperunt.]* Metu nimirum majoris servitutis.  
Ita & fragment histor. Sallustii M. Æmilius  
Lepidus in sua ad populum oratione: *Metu*  
*gravi-*



gravioris servitii à repetenda libertate terri remi-  
ni; ut solent agricolæ mancipiorum ferme  
more tractari sueti, velut in Livonia & cæliis  
non nullis locis.

*Duabus rebus confirmari Senatū posse  
puto, si numero auctus per tabellam sententiam  
ferat.* Duos modos confirmandi Senatū is do-  
cet: primus est, si numerus Senatus augetur  
(præsertim in prima classe judicantium, ut  
sup. dixit) ut minus possint Equites; & ut in  
multitudine Senatorum plus præsidii adver-  
sus factiosos, & usus in publico amplior sit.  
Initio conditæ reipub. centum Senatores à  
Romulo lecti, postea à sequentibus regibus  
ad trecentos, & tandem à Livio Druso ad  
sexcentos aucti sunt. Cæsar autem per bella  
civilia non opes solum, sed honores quoque  
multis largiturus, amplificavit, & mille Se-  
natores allegit. Vid. Lips. lib. IV. de magni-  
tud. Rom. cap. II. Unde Macrobius lib. II. Sa-  
turnal. cap. III. dicit Cæsarem numerum Se-  
natus supra fas auxisse. Et hinc natus est ille  
cavillus Ciceronis in Laberium, quem Cæ-  
sar a teo annulo honorarat, quum in quatu-  
ordecim ad spectandum, Ciceronem præteri-  
isset, & sedile quæreret: *Recepissem te*, inquit,  
*nisi angustè sederem*; quibus verbis simul & il-  
lum respuebat, & in numerum novi Senatus  
à Cæsare aucti, ideoque angustè sedentis jo-  
cabatur. Sed Laberius non impune respon-  
dit:

dit: *Mirum si angustè sedes, qui soles duabus sellis sedere*; exprobrans levitatem Ciceroni *Duabus enim sellis sedere*, proverbio dicuntur qui sunt lubricæ fidei, & duobus simul, probo & improbo, satisfacere volunt. Ab hac tamen levitate Tullium purgatum it Macrobius dicto loco. Cæterum Augustus sua ætate & imperio quum super mille, & inter illos non pauci maligni, per gratiam & præmium, electi essent, ad sexcentos rededit; innuens, etiamsi in amplo imperio amplius requiratur Senatorum numerus; tamen hic modum & dignitatem servari satius esse. Vide Svetonium Augusto cap. XXXV. & Zamoscium lib. I. de Senatu Romano.

*Tabella obtentui erit, quo magis animo libero facere audeat*] *Alter modus* firmandi Senatus est, ut ait, *si per tabellam sententiam ferat*. Per tabellam sententiam ferre, primum ab Hippodamo Milesio inventum esse, observat Aristoteles II. Politic. VIII. Postea suo tempore etiam à Romanis receptum est, cujus causa hæc erat: Quum Romæ per multos annos suffragia vivâ voce ferrentur, tandem legibus Gabiniâ, Calfiâ, Papiriâ & Cæliâ per *tabellas rectas* latæ sunt sententiæ: quæ (tabellæ) *frontes hominum aperirent, mentesque tegerent*, ut in orat. pro Plancio Tullius loquitur. Et hunc morem approbat ac retinere suadet Sallusti-

us eo

us eo fine, ut sic liberè, sine metu & gratiâ quilibet sententiam dicat; nisi latendi fides privatis cupiditatibus faveat. Confer Tullium pro Rabirio & Bœcleri Dif- fert. de Judic. p. m. 96. Tullius lib. III. de legibus hujusmodi *Tabellam* vocat *indicem*, vel, ut aliæ editiones habent, *vindicem tacite libertatis*. Et hoc est, quod author no- ster paulo inf. ait: *Ubi numero Senatorum aucto, per tabellam sententia dicentur illi super- biam suam dimittent, ubi ita obediendum erit, quibus antea crudelissimè imperitabant*. Lipsius in Politic. hoc institutum, ut adhuc utilissi- mum, in causis gravioribus commendat. Sic ille in Notis ad Politic, 3, 8, 12. *Utilissimum, in scripto sententias exigere & clausis tabellis. Ita enim accuratior sententia, & certè liberior sine alterius gratia & offensa*. Idem Cho- kiet Thesaur. Politic. 4, 12. Huic institu- to non multum dissimilis est modus, qui in Comitibus regni Suetiæ ab Equestri ordine ob- servatur: ut nimirum suffragia & sententiæ, in chartulâ consignatæ à primo cujusvis classis in tectâ paropside colligantur, & deinde, a- pertâ eâ, numerentur.

*Quomodo judicia primæ classis mittenda pu- rem*] Quia locus est obscurior, aliquando *mi- scenda* pro *mittenda* legendum putavi, miscen- da nimirum cum pluribus Senatoribus in pri- ma classe. Sed absque Codicum ope nihil mutabo.

In Vaticano Codice, teste Carrione, legitur:  
*Q. i. p. c. omnibus mittenda p. ut sit mittenda*  
 hic idem quod mandanda, committenda aut  
 permittenda. Confer Vossium in de Arte  
 Grammatica, lib. de construct. cap. XXXIII.  
 de verbo *mittere*.

*Per summam discordiam dilabi poterit.*  
 Recognoscimus hic tritum illud auctoris  
 ex bello Jugurth. *Discordiâ res maxima dist-*  
*buntur.*

*Neque tibi nox, neque dies curam animi*  
*sedaverit, quin insomniis excitus, furibusque*  
*atque amens alienata mente feraris.]* Patem  
 laucix & turbatæ conscientix vim ac furias  
 describit auctor in conjurat. Catil. cap. XV.  
*Animus impurus, diis hominibusque infestus, ne-*  
*que vigiliis neque quietibus sedari poterat: ita*  
*conscientia mentem excitam vastabat.*

*Suus cuique animus ex conscientia spem pro-*  
*bet.]* Idem est quod Ovidius dixit:

*Conscia mens ut cuique sua est, ita concipit in-*  
*tra*

*Pectora pro facto spemque metumque suo.*  
 Ipse Paulus ad Rom. 14, 15. & Johannes ep. 1.  
 c. 3. 20. 21. similes sententias effati sunt.

*O Caesar, nos te genuimus.]* Elegans Pro-  
 sopopœjæ exemplum, in quo sermo affingitur  
 patriæ. Quale etiam in Ciceronis Catilina-  
 ria I. exstat, ut jam observavit Vossius lib. V.  
 Inst. Orat. cap. VIII. §. 2.

*Si morbo jam aut fato huic imperio secus accidat, cui dubium est, quin per orbem terrarum vastitas, bella, cades oriantur.]* Ita Cerealis apud Tacitum Hist. 4, 74, 6. *Convulsa imperii compage pulsisque Romanis, nil aliud, quam bella omnium inter se gentium exstitura.* Et Seneca lib. I. de Clementiâ cap. IV. *Tum diu ab isto periculo (exitii) aberit hic populus, quamdiu sciet ferre frenos. Quos si quando abruperit, vel aliquo casu discussos reponi sibi passus non fuerit, hac unitas & hic maximi imperii contextus in partes multas dissiliet; idemque huic urbi dominandi finis erit, qui parendi fuerit.* Hoc eventus in repub. Romanâ comprobavit.

*Vivos interdum fortuna, sepe invidia fatigat. Ubi anima naturæ cessit, demtis obrectationibus, ipsa se virtus magis magisque extollit.]* Idem ante Sallustium Thucydides lib. II. & post eum Ovidius Amor. 1, 15. eleganter expressit :

*Pascitur in vivis livor, post fata quiescit :*

*Tunc suus ex merito quemque tuetur honor.*

*Quæ mihi utilia factu visa sunt.]* Hic alteram epistolam præter commendatum Cæsari descriptionis epistolæ suæ usum & brevitatem, toto prosperitatis, quam à Deo recte precatur, laudit author. Quicquid enim salutare Reipub. ejusque capiti esse debet, id à Deo, omnis prosperitatis fonte, petendum est.

M. TULLII CICERONIS  
Epistola.

ad

QUINTUM

fratrem

DE PROVINCIA RECTE  
ADMINISTRANDA.

**E**T si non dubitabam, quin hanc episto-  
 lam multi nuntii, fama denique esset  
 ipsa sua celeritate superatura, tuque  
 antè ab aliis auditurus esses, annum ter-  
 5 tium accessisse desiderio nostro, & labori  
 tuo; tamen existimavi à me quoque tibi  
 hujus molestiæ nuntium perferri oportere.  
 Nam superioribus literis, non unis, sed plu-  
 ribus, cum jam ab aliis desperata res esset,  
 10 tamen ego tibi spem maturæ decessionis  
 afferebam, non solum ut quam diutissime  
 te jucunda opinione oblectarem, sed etiam,  
 quia tanta adhibebatur & à nobis, & à præ-  
 toribus contentio, ut rem posse confici non  
 15 diffiderem. Nunc, quoniam ita accidit ut  
 neque prætores suis opibus, neque nos no-  
 stro studio; quicquam proficere posse-  
 mus, est omnino difficile, non graviter id  
 20 ferre: sed tamen nostros animos maximis  
 in rebus gerendis, & sustinendis exercita-  
 tos,

tos, frangi & debilitari molestia non oportet. Et quoniam ferre ea molestissime homines debent, quæ ipsorum culpa contracta sunt, est quiddam in hacre mihi molestius ferendum, quam tibi: factum est enim mea culpa, contra quam tu mecum & proficiscens, & per literas egeras, ut priore anno non succederetur. Quod ego, dum sociorum saluti consulo, dum impudentiæ nonnullorum negotiatorum resisto, dum nostram gloriam tua virtute augeri expeo, feci non sapienter: præsertim cum id commiserim, ut ille alter annus etiam tertium posset adducere. Quod quoniam peccatum meum esse confiteor, est sapienter, atque humanitatis tuæ curare, & perficere, ut hoc minus sapienter à me provisum, diligentia tua corrigatur. Ac si te ipse vehementius ad omnes partes bene audienti excitâris, non ut cum aliis, sed ut tecum ipse certes: si omnem tuam mentem, iram, cogitationem, & excellentem omnibus in rebus laudis cupiditatem inciris: mihi crede, unus annus additus labor tuo, multorum annorum latitiam nobis, gloriam verò etiam posteris nostris afferet. Quapropter hoc te primùm rogo, ne conahas, aut demittas animum, ne te obrui nquam fluctu, sic magnitudine negotii has, contraque erigas, ac resistas, sive

etiam ultrò occurras negotiis : neque enim ejusmodi partem reipub. geris, in qua fortuna dominetur, sed in qua plurimum ratio possit, & diligentia. Quòd  
 5 si tibi bellum aliquod magnum, & periculosum administranti prorogatum imperium viderem, tremerem animo, quòd eodem tempore esse intelligerem etiam fortunæ potestatem in nos prorogatam.  
 10 Nunc verò ea pars tibi reipub. commissa est, in qua aut nullam, aut perexiguam partem fortuna teneat, & quæ mihi tota in tua virtute, ac moderatione animi posita esse videatur. Nullas (ut opinor)  
 15 infidias hostium, nullam prælii dimicationem, nullam defectionem sociorum, nullam inopiam stipendii, aut rei frumentariæ, nullam seditionem exercitus pertimescimus : quæ persæpè sapientissimis vi-  
 20 ris acciderunt, ut quemadmodum gubernatores optimi vim tempestatis, sic illi fortunæ impetum superare non possent. Tibi data est summa pax, summa tranquillitas : ita tamen, ut ea dormien-  
 25 tem gubernatorem vel obruere, vigilantem etiam delectare possit. Constat enim ea provincia primum ex eo genere sociorum, quod est ex hominum omni genere humanissimum : deinde ex eo ge-  
 30 nere civium, qui, aut, quòd publicani sunt,



nos summa necessitudine attingunt, aut,  
 quòd ita negotiantur, ut locupletes sint,  
 nostri consulatus beneficio se incolumes  
 fortunas habere arbitrantur. At enim  
 inter hos ipsos existunt graves contro- 5  
 versia, multae nascuntur injuriae, magnae  
 contentiones consequuntur. Quasi verò  
 ego id putem, non te aliquantum nego-  
 tii sustinere : intelligo permagnum esse  
 negotium, & maximi consilii. Sed me-10  
 mento consilii me hoc negotium esse ma-  
 gis aliquantò, quàm fortunae putare.  
 Quid est enim negotii, continere eos qui-  
 bus praesit, si te ipse contineas? Id autem  
 sit magnum, & difficile caeteris, sicut est 15  
 difficillimum : tibi & fuit hoc semper fa-  
 cillimum, & verò esse debuit : cujus natu-  
 ra talis est, ut etiam sine doctrina videat-  
 ur moderata esse potuisse : ea autem adhi-  
 bita doctrina est, quae vel vitiosissimam na-20  
 turam excolere possit. Tu cum pecuniae,  
 cum voluptati, cum omnium rerum cupidi-  
 tati resistes, ut facis: erit, credo, periculum ne  
 improbum negotiatorem, paulò cupidio-  
 em publicanum comprimere non pos-25  
 sis. Nam Graeci quidem sic te ita viven-  
 tem intuebuntur, ut quendam ex anna-  
 um memoria, aut etiam è caelo divinum  
 ominem esse in provinciam delapsum  
 putent. Atque haec nunc non, ut facias, 30

sed ut facere & fecisse gaudeas, scribo. Præclarum est enim summo cum imperio fuisse in Asia triennium, sic ut nullum te signum, nulla pîctura, nullum vas, nulla vestis, nullum mancipium, nulla forma: cuiusquam, nulla conditio pecuniæ ( quibus rebus abundat ista provincia ) ab summa integritate, continentiaque deduxerit.

Quid autem reperiri tam eximium, aut tam

10 expetendum potest, quàm istam virtutem, moderationem animi, temperantiam non latere in tenebris, neque esse abditam, sed in luce Asiæ, in oculis clarissimæ provinciæ, atque in auribus omnium gentium

15 ac nationum esse positam: non itineribus tuis perterrerî homines, non sumptu exhauriri, non adventu commoveri: esse quocunque veneris, & publicè & privatim maximam lætitiâ: cum urbs custodem

20 non tyrannum: domus hospitem, non expilatorem recepisse videatur? His autem in rebus jam te usus ipse profectò erudit, nequaquam satis esse, ipsum hæc habere virtutes: sed circumspiciendum

25 diligenter, ut in hac custodia provinciæ non te unum, sed omnes ministros imperii tui sociis & civibus, & reip. præstare videre. Quanquam legatos habes eos, qui ipsi per se habituri sint rationem dignitatis

30 suæ: de quibus honore, & dignitate, & x-  
tate

tate præstat Tubero; quem ego arbitror, præsertim cum scribat historiam, multos ex suis annalibus posse deligere quos velit, & possit imitari. Hallienus autem noster cum animo, & benevolentia, tum verò etiam imitatione vivendi. Nam quid ego de Gratidio dicam? quem certò scio ita laborare de existimatione sua, ut propter amorem in nos fraternum, etiam de nostra laboraret. Quæstorem habes non tuo iudicio delectum, sed eum quem fors dedit. Hunc oportet & sua sponte esse moderatum: & tuis institutis, & præceptis obtemperare. Quorum si quis fortè esset sordidior, ferres eatenus, quoad per se negligeret eas leges, quibus est adstrictus; non ut ea potestate, quam tu ad dignitatē permisisses, ad quæstum abuteretur. Neque enim mihi sanè placet, præsertim cum hi mores tantum jam ad nimiam lenitatem, & ambitionem incubuerint, scrutari te omnes sortibus, excutere unumquemque eorum: sed quanta sit in quoque fides, tantum cuique committere. Atque inter hos, eos quos tibi comites, & adiutores negotiorum publicorum dedit ipsa respub. duntaxat finis iis præstabis, quos antè præscripsi. Quos verò aut ex domesticis convictoribus, aut ex necessariis apparitoribus tecum esse voluisti, qui quasi ex cohorte prætoris,

appellari solent, horum non modò facta,  
 sed etiam dicta omnia præstanda nobis  
 sunt. Sed habes eos tecum, quos possis re-  
 ctè facientes facilè diligere, minus consu-  
 5 lenteis existimationi tuæ facillimè coerce-  
 re: à quibus, rudis cùm esses, videtur potu-  
 isse tua liberalitas decipi: nam ut quisque  
 est vir optimus, ita difficillimè esse alios im-  
 probos suspicatur. Nunc verò tertius hic  
 10 annus habeat integritatem eandem quam  
 superiores, cautionem etiam diligentio-  
 rem. Sint aures tuæ, quæ id quod audi-  
 unt, existimentur audire: non in quas fi-  
 ctè & simulatè quæstus causa, insurretur.  
 15 Sit anulus tuus, non ut vas aliquod sed  
 tanquam ipse tu: non minister alienæ  
 voluntatis, sed testis tuæ. Accensus sit  
 eo etiam numero, quo eum majores no-  
 stri esse voluerunt, qui hoc non in benefi-  
 20 cii loco, sed in laboris, ac muneris, non  
 temerè nisi libertis suis deferebant: quibus  
 illi quidem non multò secus ac servis im-  
 perabant. Sit licitor non suæ, sed tuæ le-  
 nitatis apparitor, majoraque præferant  
 25 fasces illi, ac secures dignitatis insignia,  
 quam potestatis. Toti denique sit pro-  
 vinciæ cognitum, tibi omnium quibus  
 præsis, salutem, liberos, famam, fortunas  
 esse charissimas. Denique hæc opinio sit,  
 30 non modò iis qui aliquid acceperint, sed  
 iis

iis etiam qui dederint, te inimicum (si id cognoveris) futurum. Neque verò quisquam dabit, cum erit hoc perspectum, nihil per eos qui simulant se apud te multum posse, abs te solere impetrari. Nec tamen est hæc oratio mea hujusmodi, ut te in tuos aut durum esse nimium, aut suspiciosum velim. Nam si quis est eorum qui tibi biennii spatio nunquam in suspicionem avaritiæ venerit, ut ego Cæsum, & Charippum, & Labeonem audio, & quia cognovi, existimo: nihil est quod non & iis, & si quis est alius ejusmodi, & committi, & credi rectissimè putem. Sed si quis est in quo jam offenderis, de quo aliquid senseris: huic nihil credideris, nullam partem existimationis tuæ commiseris. In provincia verò ipsa si quem es nactus qui in tuam familiaritatem penitus intrarit, qui nobis antè fuerit ignotus: huic quantum credendum sit, vide: non quin possint multi esse provinciales viri boni: sed hæc sperare licet, judicare periculosum est. Multis enim simulationum involucris tegitur, & quasi velis quibusdam obditur uniuscujusque natura: frons, oculi, vultus sæpè mentiuntur, oratio verò sæpissimè. Quamobrem qui potes reperire ex eo genere hominum,

qui pecuniæ cupiditate adducti careant his  
 rebus omnibus, à quibus nos divulsi esse  
 non possumus, te autem alienum homi-  
 nem ament ex animo, ac non sui commo-  
 5 di causa simulent? Mihi quidem perma-  
 gnum videtur: præsertim si iidem homines  
 privatum non fere quenquam, prætores  
 semper omnibus amant. Quo ex genere  
 si quem fortè tui cognovisti amantiorem  
 10 (fieri enim potuit) quàm temporis, hunc  
 ad tuum numerum libenter ascribito: si  
 autem id non perspicias, nullum erit genus  
 in familiaritate cavendum magis: propte-  
 reà quod & omnibus vias pecuniæ norunt, &  
 15 omnia pecuniæ causa faciunt: & quicum  
 victuri non sunt, ejus existimationi consu-  
 lere non curant. Atque etiam è Græcis ipsis  
 diligenter cavendæ sunt quædam familiari-  
 tates, præter hominum perpaucorum, si qui  
 20 sunt veteris Græciæ digni. Sic verò fallaces  
 sunt permulti, & leves, & diuturna ser-  
 vitute ad nimiam assentationem eruditi:  
 quos ego universos adhiberi liberaliter,  
 optimum quemque hospitio amicitiaque  
 25 conjungi dico oportere. Nimia famili-  
 aritates eorum neque tam fideles sunt (non  
 enim audent adversari nostris voluntati-  
 bus) & invident non nostris solum, ve-  
 rum etiam suis. Jam qui in ejusmodi re-  
 30 bus, in quibus vereor etiam ne durior sim,  
 cautus

cautus esse velim, ac diligens, quo me animo in servos esse censes? quos quidem cum omnibus in locis, tum præcipue in provinciis regere debemus. Quo de genere multa præcipi possunt: sed hoc & brevissimum est, & facillime teneri potest, ut ita se gerant in istis Asiaticis itineribus, ut si iter Appia via faceres: nève interesse quicquam putent utrum Tralleis an Formias venerint. Ac si quis est ex servis e-10 gregie fidelis, sit in domesticis rebus, & privatis: quæ res ad officium imperii tui, atque ad aliquam partem reipublicæ pertinebunt, de iis rebus ne quid attingat: multa enim, quæ rectè committi servis fidelibus 15 possunt, tamen sermonis & vituperationis vitandæ causâ committenda non sunt. Sed nescio quo pacto ad præcipiendi rationem delapsa est oratio mea, cum id mihi propositum initio non fuisset. Quid enim ei præ-20 cipiam, quem ego in hoc præsertim genere intelligam prudentia non esse inferiorem, quàm me, usu verò etiam superiorem? sed tamen si ad ea quæ faceres autoritas accederet mea, tibi ipsi illa putavi fore jucun-25 diora. Quare sint hæc fundamenta dignitatis tuæ, tua primum integritas, & continentia, deinde omnium qui tecum sunt, pudor. Delectus in familiaritatibus & provincialium hominum, & Græcorum 30 per-

percautus, & diligens: familiæ gravis, & constans disciplina. Quæ cum honesta sint in his privatis nostris, quotidianisque rationibus: in tanto imperio, tam  
 5 depravatis moribus, tam corruptrice provincia, divina videantur necesse est. Hæc institutio, atque disciplina potest sustinere in rebus statuendis, decernendisque eam severitatem, qua tu in iis rebus usus  
 10es, ex quibus nonnullas similtates cum magna mea lætitia susceptas habemus: nisi fortè me Paconii nescio cujus, hominis ne Græci quidem, sed Mysii, aut Phrygii potius, querelis moveri putas: aut  
 15 Tuscenii hominis furiosi, ac sordidi vocibus, cujus tu ex impurissimis faucibus inhonestissimam cupiditatem eripuisti summa cum æquitate. Hæc & cætera plena severitatis, quæ statuisti in ista pro-  
 20vincia, non facilè sine summa integritate sustinebimus. Quare sit summa in jure dicendo severitas, dummodo ea ne varietur gratia, sed conservetur æquabilis. Sed tamen parvi refert, abs te ipso jus dici æ-  
 25qualiter, & diligenter, nisi idem ab iis fiet, quibus tu ejus muneris aliquam partem concesseris. Ac mihi quidem videtur, non sanè magna varietas esse negotiorum in administranda Asia, sed ea tota jurisdictione maximè sustineri: in qua, sci-  
 entia



entiæ præsertim provincialis ratio ipsa expedita est. Constantia est adhibenda & gravitas quæ resistat non solum gratiæ, verum etiam suspicioni. Adjungenda etiam est facilitas in audiendo, lenitas in 5 decernendo, in satisfaciendo, ac disputando diligentia. His rebus nuper Cn. Octavius jucundissimus fuit: apud quem primus licitor quievit, tacuit accensus: quoties quisque voluit, dixit, & quam 10-10 luit diu. Quibus ille rebus fortassè nimis lenis videretur, nisi hæc lenitas illam severitatem tueretur. Cogebantur Syllani homines, quæ per vim, & metum abstulerant, reddere, qui in magistratibus injuriosè de- 15 creverant, eodem ipsis privatis erat jure parendum. Hæc illius severitas acerbam videretur, nisi multis condimentis humanitatis mitigaretur. Quod si hæc lenitas grata Romæ est, ubi tanta arrogantia est, tam im- 20 moderata libertas, tam infinita hominum licentia, denique tot magistratus, tot auxilia, tanta vis, tanta senatus autoritas: quam jucunda tandem prætoris comitas in Asia potest esse? in qua tanta multitu- 25 do civium, tanta fociorum, tot urbes, tot civitates unius hominis nutum intuentur? ubi nullum auxilium est, nulla conquestio, nullus senatus, nulla concio. Quare cum permagni hominis est, & 30 ipsa

ipsa natura moderati, tum verò etiam do-  
 ctrina, atque optimatum artium studiis e-  
 ruditi, sic se adhibere in tanta potestate, ut  
 nulla alia potestas ab iis quibus præsit, de-  
 sideretur. Cyrus ille à Xenophonte non  
 ad historiæ fidem scriptus, sed ad effigiem  
 justî imperii, cujus summa gravitas ab illo  
 philosopho cum singulari comitate con-  
 jungitur: quos quidem libros non sine  
 10 causa noster ille Africanus de manibus  
 ponere non solebat: nullum est enim præ-  
 termissum in iis officium diligentis, & mo-  
 derati imperii: eaque si sic coluit ille, qui  
 privatus futurus nunquam fuit, quoniam  
 15 modo retinenda sunt iis, quibus imperium  
 ita datum est, ut redderent, & ab iis legi-  
 bus datum est, ad quas revertendum est? At  
 mihi quidem videtur huc omnia esse refe-  
 renda ab iis qui præsunt aliis, ut ii, qui eo-  
 20 rum in imperio erunt, sint quàm beatissimi:  
 quod tibi & esse antiquissimum, & ab ini-  
 tio fuisse, ut primùm Asiam attigisti, con-  
 stante fama atque omnium sermone cele-  
 bratum est. Est autem non modò ejus qui  
 25 sociis, & civibus, sed etiam ejus qui servis,  
 qui mutis pecudibus præsit, eorum quibus  
 præsit commodis, utilitati quæ servire. Cu-  
 jus quidem generis constare inter omnes  
 video, abs te summam adhiberi diligentia-  
 30 am: nullum æs alienum novum contrahi  
 civi-

civitatibus : vetere autem magno , & gravi  
 multas abs te esse liberatas urbeis : com-  
 plureis dirutas, ac penè desertas, in quibus  
 unam Joniæ nobilissimam, alteram Cariæ,  
 Samum, & Halicarnassum, per te esse recre- 5  
 atas ; nullas esse in opidis seditiones, nul-  
 las discordias : provideri abste, ut civita-  
 tes optimatum consiliis administrantur :  
 sublata Mysiæ latrocinia, cædes multis lo-  
 cis repressas, pacem tota provincia consti- 10  
 tutam : neque solùm illa itinerum, atque  
 agrorum, sed multò etiam plura, & majora  
 oppidorum & furta, & latrocinia esse de-  
 pulsa : remotam à fama, & à fortunis, &  
 ab otio locupletum illam acerbissimam mi- 15  
 nistram prætorum avaritiæ, calumniam :  
 sumptus, & tributa civitatum ab omnibus,  
 qui earum civitatum finibus incolant, tole-  
 rari æquabiliter : facillimos esse aditus ad  
 te : patere aureis tuas querelis omnium : 20  
 nullius inopiam, ac solitudinem non mo-  
 dò nullo populari accessu, ac tribunali,  
 sed ne domo quidem tua, & cubiculo esse  
 exclusam, tuo tòto denique in imperio ni-  
 hil acerbum esse, nihil crudele, atque omnia 25  
 plena clementiæ, mansuetudinis, humani-  
 tatis. Quantum verò illud est beneficium  
 tuum, quod iniquo & gravi vestigali ædi-  
 litiorum, magnis nostris simultatibus, Asi-  
 am liberasti ? Enimvero si unus homo no- 30  
 bilis

bilis queritur palam te, quòd edixeris ne  
 ad ludos pecuniæ decernerentur, H.S.CC.  
 sibi eripuisse: quanta tandem pecunia pen-  
 deretur si omnium nomine quicumque Ro-  
 mæ ludos facerent, quòd erat jam institu-  
 tum, erogaretur? Quanquam has quere-  
 las hominum nostrorum illo consilio op-  
 pressimus, quod in Asia nescio quonam  
 modo, Romæ quidem non mediocri cum  
 admiratione laudatur: quòd cum ad tem-  
 plum, monumentumque nostrum civitates  
 pecunias decrevissent, cumque id & pro  
 magnis meis meritis, & pro tuis maximis  
 beneficiis summa sua voluntate fecissent,  
 nominatimque lex exciperet, ut ad tem-  
 plum monumentumque capere liceret, cum-  
 que id quod dabatur, non esset interitu-  
 rum, sed in ornamentis templi futurum, ut  
 non mihi potius, quam populo Romano,  
 ac Diis immortalibus datum videretur: ta-  
 men id in quo erat dignitas, erat lex, erat  
 eorum, qui faciebant, voluntas, accipien-  
 dum non putavi: tum aliis de causis, tum  
 etiam ut animo æquiore ferrent ii, quibus  
 nec deberetur, nec liceret. Quapropter in-  
 cumbe toto animo, & studio omni in eam  
 rationem qua adhuc usus es, ut eos, quos  
 tuæ fidei, potestatiq̄ue, senatus, populus-  
 que Romanus commisit, & credidit, dili-  
 gas, & omni ratione tueare, ut esse quàm  
 beatissi-

beatissimos velis. Quod si te fors Afris, aut Hispanis, aut Gallis præfecisset, immanibus ac barbaris nationibus : tamen esset humanitatis tuæ consulere eorum commodis, & utilitati salutique servire. Cum verò ei generi hominum præsimus, non modò in quo ipsa sit, sed etiam à quo ad alios peruenisse putetur humanitas : certè iis eam potissimum tribuere debemus, à quibus accepimus. Non enim me hoc jamio dicere pudebit, præsertim in ea vita, atque iis rebus gestis, in quibus non potest reside-  
re inertia, aut levitatis ulla suspicio, nos ea quæ consecuti sumus, iis studiis, & artibus esse adeptos, quæ sint nobis Græciæ moni-  
mentis, disciplinisque tradita. Quare præter communem fidem quæ omnibus debetur, prætereà nos isti hominum generi præcipue debere videmur, ut quorum præceptis sumus eruditi, apud eos ipsos, quod  
ab iis didicerimus, velimus exprimere. Atque ille quidem princeps ingenii, & doctrinæ Plato, tum denique fore beatas re-  
publicas putavit, si aut docti & sapientes homines eas regere cœpissent, aut qui rege-  
rent, omne suum studium in doctrina, ac sapientia collocassent. Hanc conjunctio-  
nem videlicet potestatis, & sapientiæ saluti censuit civitatibus esse posse : quod fortasse aliquando universæ reipub. nostræ, nunc  
H quidem

quidem profectò isti provinciæ contigit,  
 ut is in ea summam potestatem haberet, cui  
 in doctrina, cui in virtute atque humanita-  
 te percipienda plurimum à pueritia studii  
 5 fuisset, & temporis. Quare cura, ut hic  
 annus qui ad laborem tuum accessit, idem  
 ad salutem Asiæ prorogatus esse videatur,  
 quoniam in te retinendo fuit Asia felicior,  
 quàm nos in deducendo, perfice ut lætitia  
 10 provinciæ, desiderium nostrum leniatur.  
 Etenim si in promerendo, ut tibi tanti ho-  
 nores haberentur, quanti haud scio an ne-  
 mini, fuisti omnium diligentissimus, mul-  
 tò majorem in his honoribus tuendis ad-  
 15 hibere diligentiam debes. Et quidem de  
 isto genere honorum quid sentirem, scripsi  
 ad te antè. Semper hos putavi, si vulga-  
 res essent, vileis: si temporis causa consti-  
 tuerentur, leveis: si verò (id quod ita fa-  
 20 ctum est) meritis tuis tribuerentur, existi-  
 mabam multam tibi in iis tuendis operam  
 esse ponendam. Quare, quoniam in istis  
 urbibus cum summo imperio, & potestate  
 versaris, in quibus tuas virtutes consecra-  
 25 tas, & in Deorum numero collocatas vides:  
 in omnibus rebus, quas statues, quas decer-  
 nes, quas ages, quid tantis hominum opi-  
 nionibus, tantis de te judiciis, tantis hono-  
 ribus debeas, cogitabis. Id autem erit ejus-  
 30 modi, ut consulas omnibus, ut medeare in-  
 com.

commodis hominum, provideas salutem, ut te parentem Asiæ & dici, & haberi velis. Atque huic tuæ voluntati, ac diligentia difficultatem magnam afferunt publicani: quibus si adversamur, ordinem de nobis optimè meritum. & per nos cum repub. conjunctum & à nobis, & rep. disiungemus: sin autem omnibus in rebus obsequimur, funditus eos perire patiemur, quorum non modò salutem, sed etiam commodis consulere debemus. 10  
Hæc est una (si verè cogitare volumus) in toto imperio tuo difficultas: nam esse abstinentem, continere omnes cupiditates, suos coercere, & juris æquabilem tenere rationem facilem te in rebus cognoscendis, in hominibus audiendis, admittendisque præbere, præclarum magis est, quàm difficile. Non est enim positum in labore aliquo, sed in quadam inductione animi, atque voluntate. Illa causa publicanorum quantam acerbitatem afferat sociis, intelleximus ex civibus qui nuper in portoriis Italiæ tollendis, non tam de portorio, quàm de nonnullis injuriis portitorum querebantur. Quare non ignoro quid sociis accidat in ultimis terris, cum audiverim in Italia querelas civium. Hic te ita versari, ut & publicanis satisfacias, præsertim publicis malè redemptis, & socios perire non sinas, divinæ cujusdam virtutis esse 30

videtur, id est, tuæ. Ac primùm Græcis id, quod acerbissimum est: quòd sint vectigales, non ita acerbum videri debet, propterea quòd sine imperio populi Romani suis  
 5 institutis per se ipsi ita fuerunt. Nomen autem publicani aspernari non possunt, qui pendere ipsi vectigal sine publicano non potuerunt, quòd iis æqualiter Sylla descriperat. Non esse autem leniores, in  
 10 exigendis vectigalibus Græcos, quàm nostros publicanos, hinc intelligi potest, quòd Caunii nuper omnes ex insulis, quæ erant ab Sylla Rhodiis attributæ, confugerunt ad senatum, nobis ut potius vectigal,  
 15 quàm Rhodiis penderent. Quare nomen publicani neque ii debent horrere qui semper vectigales fuerunt: neque ii aspernari, qui per se pendere vectigal non potuerunt: neque ii recusare qui postulaverunt. Si  
 20 mul & illud Asia cogitet, nullam à se neque belli externi, neque discordiarum domesticarum calamitatem abfuturam fuisse, si hoc imperio non teneretur. Id autem imperium cum retineri sine vectigalibus nullo  
 25 modo possit, æquo animo parte aliqua suorum fructuum pacem sibi sempiternam redimat, atque otium. Quòd si genus ipsum, & nomen publicani non iniquo animo sustinebunt, poterunt iis consilio, &  
 pru-



prudentia tua reliqua videri mitiora. Pos-  
 sunt in pactionibus faciendis non legem  
 spectare censoriam, sed potius commodita-  
 tem conficiendi negotii, & liberationem  
 molestia. Potes etiam tu id facere quod 5  
 & fecisti egregie, & facis, ut commemores  
 quanta sit in publicanis dignitas, quan-  
 tum nos illi ordini debeamus, ut, remoto  
 imperio, ac vi potestatis, & fascium, publi-  
 canos cum Græcis gratia, atque autoritate  
 jungas. Sed & ab iis de quibus opti-  
 me tu meritus es, & qui tibi omnia debent,  
 hoc petas, ut facilitate sua nos eam necessi-  
 tudinem, quæ est nobis cum publicanis,  
 obtinere, & conservare patiantur. Sed quid 15  
 ego te hæc hortor, quæ tu non modò facere  
 potes tua sponte sine cujusquam præceptis,  
 sed etiam magna jam ex parte perfecisti?  
 non enim desistunt nobis agere quotidie  
 gratias honestissimæ, & maximæ societates: 20  
 quod quidem mihi idcirco jucundius est,  
 quòd idem faciunt Græci. DIFFICILE est au-  
 tem ea, quæ commodis, utilitate & propè  
 natura diversa sunt, voluntate jungere.  
 Ad ea quidem quæ supra scripta sunt, non 25  
 ut te instituerem scripsi (neque enim pru-  
 dentia tua cujusquam præcepta desiderat)  
 sed me in scribendo commemoratio tuæ  
 virtutis delectavit: quanquam in his literis  
 longior fui, quam aut vellem, aut me pu- 30

tavi fore. Unum est quod tibi ego præci-  
 pere non desinam, neque te patiar, quan-  
 tum in me erit, cum exceptione laudari. O-  
 mnes enim qui istinc veniunt, ita de tua  
 5 virtute, integritate, humanitate, commemo-  
 rant, ut in tuis summis laudibus excipiant  
 unam iracundiam. Quod vitium cum in  
 hac privata, quotidianaque vita levis esse a-  
 nimi, atque infirmi videtur: tum verò NIHIL  
 10 est tam deforme, quàm ad summum imperium  
 etiam acerbitatem naturæ adjungere. Qua-  
 re illud non suscipiam, ut quæ de iracundia  
 dici solent à doctissimis hominibus, ea tibi  
 nunc exponam, cum & nimis longus esse  
 15 nolim, & ex multorum scriptis ea facile pos-  
 sis cognoscere. Illud quod est epistolæ pro-  
 prium, ut is ad quem scribitur, de iis rebus  
 quas ignorat, certior fiat, prætermittendum  
 esse non puto. Sic ad nos omnes ferè defe-  
 20 runt, nihil, cum absit iracundia, te fieri pos-  
 se jucundius: sed cum te alicujus improbi-  
 tas, perversitasque commoverit, sic te animo  
 incitari, ut ab omnibus tua desideretur hu-  
 manitas. Quare quoniam in eam rationem  
 25 vitæ nos non tam cupiditas quædam glo-  
 riæ, quàm res ipsa, ac fortuna deduxit, ut sem-  
 piternus sermo hominum de nobis futurus  
 sit, caveamus, quantum efficere, & consequi  
 possumus, ne quod in nobis insigne vitium  
 30 fuisse dicatur. Neque ego nunc hoc con-  
 tendo,

tendo, quod fortasse cum in omni natura, tum jam in nostra ætate difficile est, mutare animum, & si quid est penitus insitum, moribus, id subito evellere: sed te illud admoneo, ut si hoc plenè vitare non posses, quòd antè occupatur animus ab iracundia, quàm providere ratio potuit, ne occuparetur; te ante compares, quotidieque meditare, resistendum esse iracundiæ: cumque ea maximè animum moveat, tum tibi esse diligentissimè linguam continendam: quæ quidem mihi virtus non interdum minor videtur, quàm omninò non irasci. Nam illud non solùm est gravitatis, sed nonnunquam etiam lenitudinis: moderari verò & animo, & orationi, cum sis iratus, aut etiam tacere, & tenere in sua potestate motum animi, & dolorem, etsi non est perfectæ sapientiæ, tamen est non mediocris ingenii. Atque in hoc genere multò te esse jam commodiorem, mitioremque nuntiant. Nullæ tuæ vehementiores animi concitationes, nulla maledicta ad nos, nullæ contumeliæ referuntur: quæ cum abhorrent à literis, ab humanitate, tum verò contrariæ sunt imperio, & dignitati. Nam si implacabiles sunt iracundiæ, summa est acerbitas: si autem exorabiles, summa levitas: quæ tamen (ut in malis) acerbitati anteponenda est.

Sed quoniam primus annus habuit de hac  
 reprehensione plurimum sermonis, credo  
 propterea, quod tibi hominum inju-  
 ria, quod avaritia, quod insolentia præ-  
 5 ter opinionem accidebat, intolerabilis  
 videbatur: secundus autem multo le-  
 nior, quod & consuetudo, & ratio, (ut  
 ego arbitror) meæ quoque literæ te pa-  
 tientiores, lenioremque fecerunt: ter-  
 10 tius annus ita esse debet emendatus, ut  
 neminam quidem rem quisquam pos-  
 sit ullam reprehendere. Ac jam hoc loco  
 non hortatione, neque præceptis, sed præ-  
 cibus tecum fraternis ago, totum ut ani-  
 15 mum, curam cogitationemque tuam po-  
 nas in omnium laude undique colligenda.  
 Quod si in mediocri statu sermonis, ac præ-  
 dicationis, nostræ res essent: nihil abs te  
 eximium, nihil præter aliorum consuetudi-  
 20 nem postularetur. Nunc verò propter earum  
 rerum in quibus versati sumus, splendorem,  
 & magnitudinem, nisi summam laudem ex  
 ista provincia assequimur, vix videmur  
 summam vituperationem posse vitare. Ea  
 25 nostræ ratio est, ut omnes boni cum fave-  
 ant, tum etiam à nobis omnem diligenti-  
 am, virtutemque & postulent, & expectent;  
 omnes autem improbi, quod cum iis bel-  
 lum suscepimus sempiternum, vel minima re  
 30 ad reprehendum contenti esse videan-  
 tur.

tur. Quare, quoniam ejusmodi theatrum est totius Asiæ celebritate resertissimum, magnitudine amplissimum, judicio eruditissimum, natura autem ita resonans, ut usque Romam significationes, vocésque 5 referantur: contende quæso, atque elabora, non modò ut his rebus dignus fuisse, sed etiam ut illa omnia tuis artibus superasse videare. Et quoniam mihi casus urbanam in magistratibus administrationem reipu-10 blicæ, tibi provincialem dedit, etsi mea pars nemini cedit, fac ut tua cæteros vincat: simul & illud cogita, nos non de reliqua & sperata gloria jam laborare, sed de parta dimicare: quæ quidem non tam ex-15 petenda fuit, quàm tuenda nobis est. Ac si mihi quicquam esset abs te separatum, nihil amplius desiderarem hoc statu, qui mihi jam partus est. Nunc verò res sic sese habet, ut nisi omnia tua facta, atque dicta 20 nostris rebus istinc respondeant, ego me meis tantis laboribus tantisque periculis, quorum tu omnium particeps fuisti, nihil consecutum putem. Quòd sit, ut amplissimum nomen consequeremur, unus præter 25 cæteros adjuvisti: certè idem, ut id retineamus, præter cæteros elaborabis. Non est tibi his solis utendum existimationibus, ac judiciis, qui nunc sunt hominum, sed iis etiam qui futuri sunt: quanquam illorum 30

erit verius iudicium, obtrectatione, & malevolentia liberatum. Denique illud etiam debes cogitare, non te tibi soli gloriam quærere: quod si esset, tamen non negligeres, præsertim cum amplissimis monumentis consecrare voluisses memoriam nominis tui: sed ea tibi est communicanda mecum, prodenda liberis nostris: in qua cavendum est, ne, si negligentior fueris, non solum tibi parum consuluisse, sed tuis etiam invidisse videaris. Atque hæc non eò dicuntur, ut te oratio mea dormientem excitasse, sed potius ut currentem incitasse videatur: facies enim nimis perpetuò quæ fecisti, ut omnes æquitatem tuam, temperantiam, severitatem, integritatemque laudent. Sed me quædam tenet propter singularem amorem infinita in te aviditas gloriæ. Quanquam illud æ existimo, cum jam tibi Asia, sicut unicuique sua domus nota esse debeat, cum ad tuam summam prudentiam tantus usus accesserit, nihil esse quod ad laudem attineat, quod tu non optimè perspicias, & tibi non sine cuiusquam hortatione in mentem veniat quotidie. Sed ego qui, cum tua lego, te audire, & qui, cum ad te scribo, tecum loqui videor: ideo & tua longissima quaque epistola maxime delector, & ipse in scribendo

sepe

sepe sum longior. Illud te ad extremum & oro, & hortor, ut tanquam poetæ boni, & actores industrii solent, sic tu in extrema parte, & conclusione muneris, ac negotii tui diligentissimus sis, ut hic tertius annus imperii tui tanquam tertius ætus perfectissimus atque ornatissimus fuisse videatur. Id facillimè facies, si me, cui semper uni magis, quam universis placere voluisti, tecum semper esse oportabis, & omnibus iis rebus quas dices, ac facies, interesse. Reliquum est ut te orem, ut valetudini tuæ, si me & omnes tuos valere vis, diligentissimè servias.

# JOH. LOCCENII

## Commentarius

*in*

Epistolam. Ciceronis

*ad*

QUINTUM

fratrem

DE PROVINCIA RECTE

ADMINISTRANDA.

Argumentum & Partitio

Epistolæ Ciceronis,

[ex Commentario Francisci

Hotomanni deprompta]

Quintus

**Q**uintus Cicero ex Prætura provinciam Asiam sortitus, annos jam duos continuos parum secundâ famâ eam administrarat. Cum in annum tertium prorogatum illi imperium fuisset, Marcus frater inde occasionem eum ad laudem cohortandi sumsit, quod de accessione hac annua facere illum certiore vellet. Est autem bipartita cohortatio: prior enim pars ad ea quæ Rempub. attingunt, altera ad ea, quæ singularia & Quinti ferè præcipua sunt, pertinet. Nam in priore parte ea persequitur, quæ ad Quinti imperium ac provincialem administrationem spectant, de quibus quadripartitò disputat. Placet enim, quoniam id primum ac summum boni interpretis officium esse duximus, hujus epistolæ partitionem, ordinem ac dispositionem, & [ut Cicero ipse sæpe appellat] *οἰκονομίαν*, quæ sanè in hoc libello singularis est, paulò attentius considerare. Primo igitur loco de Quinto ipso præcepta dat; Sed non ita, quasi de Quinto ac cive Romano; verum ut de amplissimo populi R. Magistratu, Asiam provinciam cum summo imperio administrante; altero loco de iis comitibus præcipit, quos secum in provinciam imperii sui ministros publicorumque negotiorum adjuutores eduxerat. Postea de vitandis Græcorum & publicano-



blicanorum nimis familiaritatibus illum 3  
 monet, utpote quibus imperii sui digni-  
 tas labefactari facile convellique possit.  
 Postremò etiam de servis cautionem adhi- 4  
 bet, ejusque caput hoc esse voluit: ne quid  
 iis quod ad Rempub. ulla ex parte perti-  
 neat, committatur. Itaque summatim hæc  
 omnia in Epilogo enumerans, quatuor  
 hæc dignitatis Quinti fundamenta nomi-  
 nat: integritatem ipsius & continentiam;  
 omnium qui cum ipso erant pudorem, de-  
 lectum in familiaritatibus & provincialium  
 & Græcorum; postremo familiæ gravem  
 & constantem disciplinam. Altera pars  
 ea, ut ante dixi, quæ Quinti personam at-  
 que officium præcipuè attingunt, comple-  
 ctitur. Nam primò loco de moderanda 1.  
 acerbitate, qua usus in suppliciis antea fue-  
 rat, deque retinenda in jure dicendo æ-  
 quabilitate præcipit. Secundò de suble- 2.  
 vandis provinciæ oneribus, minuendis-  
 que sumtibus & jacturis: tertio de conci- 3.  
 liandis cum publicanorum ordine sociis,  
 constituendaque inter illos concordia;  
 postremò de coërcenda iracundia & natu-  
 ræ impetu moderando ita luculenter ac 4.  
 prope divinitus disputat, ut hanc epistolam  
 non Quinto fratri scripsisse, potius quam  
 omnibus provincialium gubernatoribus,  
 præclaram quandam imperii recte admi-  
 nistrandi

116 ELOGIA DE EPISTOLA CICERONIS  
nistrandi normam ac regulam præscrip-  
sisse videatur.

His addi possunt alia de hac Cic. Epistola

CLARISS. VIRORUM  
ELOGIA.

*Justus Lipsius lib. I. Elector.*

*cap. XIV.*

Eximia Epistola ad Quintum fratrem.

*Idem I. Elect. XXIII.*

Ciceronis Epistola ad Q. fratrem de cælo  
delapsa.

*M. Anton. Muretus part. II. Orat. XVI.*

Epistolâ, quæ à Cicerone ad Q. fratrem in  
Asiam missa est, vir non eloquentissimus  
tantum, sed etiam tractandæ reipub. peri-  
tissimus omnia complexus est, quæ præsta-  
ri debent ab iis qui magnis provinciis sum-  
mo cum imperio præfunt.

*Hugo Grotius in Florum (parsione ad  
Jus Justinian. pag. 83.*

Ciceronis ad Q. Fratrem epistolam sæpe  
legant & relegant censeo, qui in provinci-  
as mittuntur.

*Job. Caselius in comment. ad Demetrium  
Phalereum.*

Nobilis illa M. Tullii ad Q. fratrem epistola  
liber est, quo virum politicum magna ex  
parte erudit.

*Franciscus Fabricius in Vita  
Ciceronis.*

In hac epistola Cicero omnia præcepta bene administrandæ provinciæ ita persequitur, ut amplius nihil desiderari possit.

*Matth. Berneggerus in fin.*

*Orat. Acad. X.*

Ciceronis ad Quintum fratrem epistola administrandæ Reipub. pulcherrima præcepta complectitur; & quasi gemma omnium Ciceronis epistolarum æstimari potest.

*Arnold. Clapmarius*

*lib. VI. de Arcan.*

*Rerumpub. cap. XXI.*

Cicero in prudentissima epistola ad Q. fratrem.

*Paulus Manutius in Arg.*

*hujus Epist.*

Hæc epistola cum ad unum Q. Ciceronem scripta sit, omnibus tamen provinciarum aut civitatum rectoribus norma quædam & bene agendi regula esse potest.

*Job. Kirchmannus in lib. de Annulis*

*veter. cap. XIV.*

Cicero in elegantissima illa & planè aurea ad Q. Fratrem epistola.

## JOH. LOCCENII

### Commentarius.

**E** *tsi non dubitabam*] Initium Epistolæ vel exordium à descriptionis scopo & causa per occupationem sumit.

*Fama*

*Fama esset ipsa celeritate sua superatura*] Fama celeritate sua sæpe præcurrit ipsas literas. Ita Tullius ad Atticum 1, 12. *Asiam Quinto, suavissimo fratri, obtigisse audisti. Non etiam dubito, quin celerius tibi hoc rumor, quam ullius nostrum litera nuntiarint.* De famæ celeritate etiam noti sunt Maronis versus.

*Annun tertium*] In quem Quinto prorogatum erat imperium. Confer Ciceronem Fam. ep. 2, 15. Tempus ordinarium, quo provincias olim tenebant Prætores, erat annum. Si prorogaretur illis imperium, proprætores appellabantur. Vid. Rosin. lib. VII. Antiq. Rom. cap. XLII. Moribus regni Suetiæ tempus imperii provincialis est triennale; nisi prorogetur. Quàm verò salubre sit, imperium rectoris provinciæ esse temporarium, pluribus discussit Forstnerus in Notis Politic. ad lib. II. Annal. Taciti. p. m. 140. 141. & Barcl. Argenid. lib. 3. c. 6.

*Spem matura decessionis afferebam.*] Decessionis ex provincia. Sic alibi Cicero ad Attic. 5, 21. *Non putet Senatus, nos, antequam successum sit, oportere decedere,* & lib. I. ep. 2. ad Q. Frat. *Si unà tecum decederet.*

*A Prætoribus*] Qui sub exitum anni provincias sortiebantur aut comparabant, ut hîc notat Hotomannus. Hi tautem non tam Quinti, quam suorum causâ studiosè ita contendebant, ut Quinto decedente, eorum aliquis

quis succederet. Manutius hîc, Lipsius & Gulielmus de magistratu Rom. cap. X. inspicendi sunt.

*Suis opibus* ] i. e. suis viribus aut potentiâ, ut hic accipitur. Eodem modo Tullius ad Attic. 1, 6. *Putavi mihi majores quasdam opes & firmiora præsidia quærenda.*

*Nostros animos, in rebus & gerendis & suscipiendis exercitatos, frangi & debilitari molestia non oportet* ] *Molestiam*, imperii Quinti prorogationem, vocat: Quod illa cum molestiâ & labore conjuncta esset. Sed propter molestiam & laborem, rerum arduarum comites, animum præsertim exercitatum non debilitari ac frangi oportere, hortatur fratrem. Velut assuetus non solet onus, etiamsi paulò gravius sit, abiicere; sed ferre ac tolerare; ita animus viri fortis, arduis exercitus. Pulchrè Seneca epist. XXII. *Turpe est cedere oneri. Luctare cum officio, quod semel recepisti. Non est vir fortis ac strenuus, qui laborem fugit: verùm ibi crescit illi animus ipsâ cum rerum difficultate.* Et epist. XXXI. *Animi est ipsa tolerantia, qua se ad dura & aspera hortatur & dicit: quid cessas? non est viri, timere sudorem.*

*Ferre ea molestissimè homines debent, qua ipsorum culpâ contracta sunt* ] Ovid. Heroid. ep. V.

*Ex merito quidquid patiare, ferendum est.*

136 JOH. LOCCENII COMMENTARIUS  
Confer quoque M. Tullium Fam. ep. lib. VI.  
ep. 2. & 20.

*Quod ego, dum sociorum saluti consulo.*  
Adfert auctor causas excusationis, quod culpa suâ factum sit, ut Quinto prorogaretur imperium. Eas ita proponit, tanquam in hoc à se peccatum esset, ut ejus rei culpam in se, non Quintum, conferre videatur: ne offendat fratrem. Et tamen prudenter à Cicerone factum erat: ut Quintus sinistram de se opinionem, ex imperio nimis severo sibi contractam, sequentis anni accessione ac moderato in posterum imperio deleret, ac benigniorem de se famam in urbe & provincia relinqueret.

*Dum impudentia nonnullorum negotiatorum resisto.*] Inprimis Paconii, & Tuscenii impudentiæ, de quib. inf. qui severius à Quinto habiti, Romam ad Senatum de ipso conquerendi causa accesserant.

*Si te ipse vehementius ad omnes partes bene audiendi excitariis.*] Hæc est pars prima, ejusque caput primum cohortationis, quæ ad Quintum, fratrem Ciceronis, tanquam personam publicam, vel imperii ejus dignitatem spectat: nimirum ut se excitet ad laudem & famam, præclaris actionibus colligendam: quum iis, qui cum imperio sunt, præcipua rerum ad famam dirigenda sint. Tacitus *Annal.* 4, 40, 2.

Ut

*Ut tecum jam ipse certes.]* Viris magnis

ob virtutis præstantiam extra comparationis  
aleam ferme positis, propria exempla ut satis  
amplum theatrum vel campus in quo secum  
ipsi certent, atque se ipsos vincere nitantur,  
proponi solent. Plinius in panegyri. ad Tra-  
janum: *Quàm magnum est, unum ex omnibus  
sine æmulo ac sine exemplo secum certare, se-  
cum contendere.* Cicero Fam. epist. 8, 14. ad  
Dolabellam consulem: *Quid est quod ego te  
horter, ut dignitati & gloriæ servias? propo-  
nam tibi claros viros, quod facere solent qui  
hortantur? neminem habeo clariorem, quam te  
ipsum, te imitere oportet, tecum ipse certes, nec  
licet quidem tibi jam tantis rebus gestis non tui  
similem esse.* Idem IX. fam. 15. de Bruto:  
*Perge mi Brute, & jam non cum aliis, sed tecum  
ipse certes.*

*Ne contrahas aut demittas animum neve  
te obrui tanquam fluctu sic magnitudine negoti-  
i finas.]* Allegoria à navigantibus, qui vela  
contrahunt aut demittunt, pro diversitate  
tempestatis & venti, vel adversi vel remissi:  
quam applicat ad animum, difficultatibus  
fractum. Ita Tullius Tusc. Quæst. 4.6. *Stul-  
torum ægritudo est ea, quâ afficiuntur in malis o-  
pinatis, animosque demittunt & contrahunt,  
rationi non obtemperantes.* Eâdem allegoriâ  
usus est Seneca de tranq. anim. cap. III. &  
Horat. lib. II. od X.

*Contra te erigas ac resistas*] Pari modo Quintum fratrem hortatur lib. I. ep. III. *Erige te & confirma, si qua subeunda dimicatio est.* Et Tusc. Qv, 2, 22. *Vir sapiens eriget ipse se, suscitabitur, instruet, armabit, ut tanquam hosti, sic obsistat dolori.* Sapienter Salomon Ecclesiasticus cap. VII. v. 29. *Deum hominem fecisse re-ctum,* ait : ut doceat ope divina se erigere, nec ex impatientiâ succumbere molestiis, laboribus & adversis. Ovidius lib. III. de Ponto :

*Sustineas ut onus, nitendum est vertice recto,  
At flecti nervos si patiare, cades.*

*Etiâ fortunæ in nos potestatem prorogata[m]*] Ut animet Quintum ad constantiam, & erectum in eo animum firmet, ostendit, se talem reipub. partem gerere, in qua nihil vel parum potestatis fortunæ sit, ut est in imperio militari. Nam ut Livius 19, 17, 3. ait *fortuna quidem per omnia humana, maximè tamen in res bellicas potens est.* Inde Tullius etiam mox occasionem belli incommoda describendi capit. Contra, eam reipub. partem & quidem tranquillam Quinto commissam esse affirmat, in qua plurimum ratio, consilium, ac diligentia possit, speciatim autem virtus & moderatio animi Quinti : quæ deinde fufius deducit.

*Quæ per sepe sapientissimis viris acciderunt, ut quemadmodum Gubernatores optimi*  
vim



*vim tempestatis, sic illi fortuna impetum superare non possent*] Incommoda belli, à vi majore profecta, sæpe possunt esse tanta, ut quemadmodum etiam optimi gubernatores non possunt sævitiam procellæ vincere; sic sapientissimi quoque viri adversæ fortunæ in bello in ætium superare nequeant. Hæc similitudo satis elegans, non uni auctori familiaris est, etiam Ciceroni I. Fam. ep. 9. in Orat. pro Cn. Plancio & ante Ciceronem Euripidi in Troad. a. 3.

*Tibi data est summa pax & summa tranquillitas; ita tamen, ut ea dormientem Gubernatorem vel obruere, vigilantem etiam delectare possit*] Licet Quintus tranquillum ac pacatum imperium acceperit, negat tamen, ei securè indormiendum esse, pergens in allegoria sua, vel comparatione rectoris reipub. aut provinciæ cum gubernatore navis, Tullio etiam lib. V. de Repub. & ad Attic. 8, 11. usurpata. Est autem talis, quæ simul insigne monitum politicum complectitur: Si gubernator navis sereno cælo fortè securus clavo indormiat, facile in brevia, Syrtes aut latentia saxa navim impingere potest; aut subito orta tempestas vel navem deprimere, vel ipsum gubernatorem clavo indormientem, ut Palinurum Virgilianum, navi excutere potest. Ut ergo non minus aëris serenitas ad præcavendum subitas tempestates & pericula,

quàm procellæ vis ad instantia mala declinanda, cautum & vigilantem navis gubernatorem desiderant; ita pax & res prosperæ non minus vigilantem ac circumspectum magistratum aut rectorem provinciæ, quàm adversa, vel bella desiderant: ut res publica ab incertis aut dubiis casibus, ab infidiis & malis externis tuta morbisque internis incolumis ac libera servetur. Hinc Reges, Principes & Magistratus Psal. 127, à Davide *custodes* aut *excubitores* dicuntur: quod sedulò velut in speculâ Reipub. stare, animo excubare, & quantum in ipsis est, prævertere debeant, ne Respub. quid detrimenti patiat. Seneca lib. I. de Clementiâ cap. III. *Illius Principis demum magnitudo stabilis fundataque est, quem omnes tam supra se esse, quàm pro se sciunt; cujus curam excubare pro salute singulorum atque universorum quotidie experiuntur.*

*Ex eo genere Sociorum.*] Auctor hic, prius descriptis ingeniis sociorum provinciæ Asiaticæ, deinde monet Quintum, quomodo eorum ingeniis ac moribus se & suum imperium attemperare debeat. Recturus enim provinciam, provincialium mores & ingenia nosse debet: ut iis rectè & juste moderari possit. Tacitus de Agricola 19, 1. paucis sed nervosis verbis, *animorum provincie* (Britanniæ) *prudens.*

*Nos summa necessitudine attingunt.*] Cicerones enim ex ordine publicanorum orti erant. Vide Cic. Orationem pro Posthumio.

*Nostri consulatus.*] In quo spem novarum tabularum, oppressa conjuratione, extinxit Cicero consul, atque ita publicani salvas suas fortunas soluto credito, habuerunt. Tabulæ verò novæ erant quibus antiquabatur debita facta, ne creditam pecuniam debitor cum usura, persolveret. Vide hæc Notas Hotomanni.

*Quid est negotii*] i. e. facile est. Ita Cæsar lib. V. bell. Gall. & lib. I. bell. civ. *Nihil esse negotii.*

*Continere eos quibus præsis, sicut ipse continereas.*] Hic est primum primæ cohortationis partis caput, in quo dat præceptum Quinto de continendo se ipso, & integritate sui. Qui imperium in se primum ac cupiditates suas exercet, aliis quoque facile imperare potest. Sic paulo inf. noster: *Tu cum pecunia, cum voluptati, cum omnium rerum cupiditati resistes, erit, credo periculum, ne improbum negotiatorem, paulo cupidiorum publicanum comprimere non possis.* Quæ verba, præsertim, ultima, ironicè prolata innuunt, facile fore, comprimere & continere alios, si se ipsū primū possit. Modus ergo regendi alios à se primū ordiendus est, ut Agricola apud Tacitū à se suisq; orsus, primum domum suam coërcuit: quod plerisque,

inquit Tacitus, *haud minus arduum est, quam provinciam regere.* Et huc spectat proverbium. *Recte ordiari semper à lare tuo.* Quin si quis eligendus sit ad munus publicum, aestimatio & judicium de aptitudine ejus ad illud munus hinc quoque rectè fiet, si se ipsum continuerit, & modum vitæ, ac opum suarum rectam administrationem habere didicerit. Tullius lib. X. ad Attic. ep. VII. *Quibus utantur vel sociis vel ministris, si ii provincias, si temp. regent, quorum nemo duos menses potuit patrimonium suum gubernare?* Alfonso rex Arragoniæ dicere solitus est: *Turpe nimium esse cum aliis imperare, qui sibi dominari nesciret.* Basiliius in parænesi ad Leonem filium idem in consiliariis requirit: *Consiliariis, inquit, utere iis, qui rebus ipsi suis bene consuluisse recteque eas administrasse comprobantur. Minimè autem eos adhibe, qui per imprudentiam malè suis negotiis providerunt. Nunquam enim alienis bene consultum ibit, qui suis rebus malè consuluerit.* S. Paulus ipse in Episcopo & ecclesiæ ministro requirit, ut domui suæ rectè præfuerit I. ad Timoth. III. v. 4. 5. Hoc ergo per omnia munia publica se porrigit.

*Ea autem adhibita doctrina est, quæ vel vitiosissimam naturam excolere potest ] Ut cultura solum etiam asperum, ita doctrina vel vitiosissimam naturam si non penitus mutare,*

mutare, tamen emendare potest; modò non mala mens malus animus impatiens disciplinæ & culturæ sit; Horatii in hanc rem noti sunt versus:

*Nemo adedò ferus est, ut non mansuescere possit,*

*Si modò cultura patientem accommodet aurem.*

Seneca lib. II. de Ira cap. XI. *Nulli sunt tam feri & sui juris affectus, ut non disciplina perdomentur.*

*Ecælo delapsus.*] Talem dicimus è cælo delapsum, qui ob eximias & singulares animi dotes, communem hominum sortem supergressus est; aut qui ad afflictis rebus subito subvenit; aut qui inopinatò amicis visus est. Cicero in Orat. pro lege Manilia: *Pompejum secum aliquem non ex hac urbe missum, sed de cælo delapsum intuentur.* Juvenalis sat. II.

*Tertius è cælo cecidit Cato.*

Tibullus 1, 3.

*Tunc veniam subito nec quisquam nunciet ante*

*Sed videar cælo missus adesse tibi.*

*Signum*] Pro simulacro aut statua, ut passim accipiunt auctores. Vid. Figrel. de statuis illustr. Rom. cap. I.

*Quibus rebus abundat ista provincia*] Tacitus Agric. 6, 3. de Asia: *Provincia dives &*

138 JOH. LOCCENII COMMENTARIUS  
*parata peccantibus.* Inf. noster *corruptri-*  
*cem* vocat. In hac in corruptum stare, quan-  
tum est !

*Ab summa integritate continentiaque de-*  
*duxerit.]* Non tam arduum & præclarum  
est, delicias & voluptates, quæ non adsunt,  
non appetere quàm in mediâ earum copiâ il-  
lis abstinere posse: hoc demum confirmatæ  
virtutis est. Plutarchus in Sympoſ. *Illud cer-*  
*te exiguum non est, posse inbibere appetitum,*  
*dum fruendi copia adest. Minus enim absentia*  
*concupiscunt, qui adhuc volunt abstinere præsen-*  
*tibus.* Erasmus in Dialogo proci ac puellæ:  
*Arbitror eum fortius temperantem, quem parata*  
*copia non potest opprimere.*

*In luce Asia ]* Vid. inf. ad illa verba :  
*Quoniam ejusmodi theatrum est totius Asiae.*

*Non itineribus tuis perterriti homines,*  
*non sumtu exhauriri, non adventu commoveri ]*  
Maximè hoc facit ad conciliandum provin-  
cialium & subjectorum animos, & reti-  
nendam eorum fidem, si itineribus rectoris  
provinciae aut magistratus, tanquam adveni-  
entis tyranni, non perterreantur; sed velut cu-  
stodem ac protectorem suum læti accipiant:  
ut fiat, quod de benevoli principis accessu  
scribit Seneca lib. I. de Clementia cap. III. *Quo*  
*procedente, non, tanquam malum aliquod aut no-*  
*xium animal è cubili prosilierit, diffugiunt; sed*  
*tanquam ad clarum & beneficum sidus certatim*  
*advo-*



*advolant.* Item si non sumptibus ab ipso itinere, vel largitionibus exhauriantur; sed domus provincialium eum ut hospitem, non ut expilatorem recipiant. Ita M. Cicero versatus est in provincia Asiaticâ, ut ipse de se scribit ad Atticum 5, 14. *Nos admirabiliter Asia accepit, adventus noster nemini ne minime quidem fuit sumtui.* Idem repetit ejusdem lib. V. epist. 17. 20. Ulpianus in l. 4. D. de offic. procons. vult præfectum prov. de adventu suo mittere ad decessorem & significare, quo die fines provinciæ sit ingressurus: ne incerta hæc & inopinata turbent provinciales, & actus impediant, & per eam partem ingredi provinciam, per quam ingredi moris est. Magni enim provinciales, ut ait, faciunt, servari consuetudinem istam. Clapmarius hoc inter simulacra libertatis refert lib. VI. de arcanis Rerumpub. cap. XIV. Eadem lex prohibet, nimio uti comæatu, & in hospitibus præbendis onerari provinciam; quæque alia ibi lætione & imitatione digna exstant. Confer etiam Gellium Noct. Attic. 15, 2. ubi de C. Graccho sermo est, & quam continenter ille in provincia Sardinia vixerit.

*His autem in rebus jam te usus ] Hic est alterum primæ cohortationis caput, in quo præcepta tradit de comitibus & ministris imperii provincialis, & publicorum negotiorum adju-*

*adjutoribus* : quales erant vel *honorati*, vel *humiles* ; *honorati*, ut *Legati* & *Questores* ; *humiles*, ut *domestici*, *convictores*, *accensus* & *libertores* ; ut omnes in officii sui partibus à Quinto contineantur. Hoc est quod Cicero III. de legib. etiam rectori provinciæ præcepit instar legis : SE ET SERVOS CONTINETO.

*Circumspiciendum diligenter, ut in hac custodia provinciæ non te unum, sed omnes ministros imperii tui socios & civibus & reipub. prestare videre* ] Id est, operati tibi danda est, ut non solum ipse, sed etiam comites ac ministri tui innocentes, fideique erga socios Reipub. Rom. provinciales, cives & reipub. etiam *tua obligatione & pericula sint* : hæc enim est vis verbi *prestare*, de quo plura Jure consulti. *Vid. Rittershus. Commentar. in L. XXIII. de Reg. jur. Protheor. cap. VII.* Monemur hisce : Non satis esse, magistratum ipsum aut provinciæ præfectum rectè suum officium facere, & se continere ; nisi etiam ministros suos cujuscunque conditionis abstinentes & fideles præstet. Quod si per incuriam negligat, malos eligat, aut per indulgentiam eorum delictis conniveat, non delinquentibus solum ministris, sed etiam remisso & conniventi domino imputatur. Hoc est, quod Isocrates in Orat. ad Demonic magistratum docet : *Imperio prepositum nullius improbi ministerio in obeundis negotiis uti :*



IN EP. CIC. AD QUINTUM FRATREM. 141  
*nam quicquid hic deliquerit, id illi imputa-  
tum iri.*

*Legatos habes* ] Primum agit author de  
*honoratis* rectoris provinciae *ministris* nimirum  
de *Legatis & Quaestoribus*. Legati rectori  
provinciae *fiduciarium operam*, ut Cæsar lib. II.  
belli civ. loquitur, præbebant, & vicarii qui-  
dam illorum erant, ad molem imperii provin-  
cialis & partem jurisdictionis, de qua inf.  
sustinendam. Ad Rosinum lib. VIII. Anti-  
quit. Roman. cap. XLIV. Hunc morem de  
Legatis Imperatores, Carolus Magnus & e-  
jus successores certâ ratione & instituto suo  
accommodatâ, à Romanis accepisse & redu-  
xisse videntur, dum in Saxonia & aliis Imperii  
provinciis suos habuere Legatos & Comites,  
qui non solum vice Imperatoris in civili ju-  
risdictione fungebantur, sed etiam in alio-  
rum præfectorum vitam, & mores inquire-  
bant; à quibus non provocabatur; nisi ad  
solum Imperatorem, ut observat Lambecius  
Orig. Hamburg. 21. 22. Ab Impp. istis Reges  
Galliæ istud institutum mutuati esse viden-  
tur; de quo Jacobus Bongarsius in epist.  
CXIV. ad Joachimum Camerarium, in hunc  
modum: *Lediguirium Rex prudenti consilio ad-  
junxit Guisio Legatum à se. Moris jam hoc no-  
stri, ut provinciarum præfectis adjungantur le-  
gati seu locum tenentes, qui non ipsorum præfe-  
ctorum (ut more Rom.) sed Regis & ab ipso  
Rege*

*Rege constituti legati sunt, quorum operâ prava praefectorum consilia, si quae agitent, frangantur aut turbentur, donec statuere de eis Regi commodum sit. Qua ratione servata à Guisiane familiae consiliis provincia sub Rege nonnulla, Campania imprimis, quae ipsi familiae principierat addicta.*

*Tubero.]* Integrum ejus nomen erat L. Aelius Tubero, de quo legendus est Vossius lib. I. de Historic. Latin. cap. XII. quum etiam historicus fuerit Tubero; sed hic Q. Ciceronis legatus.

*Alienus noster.]* In quibusdam editionibus est *Hallienus*, vel, ut est in Philippicâ XI. p. m. 427. *Alienus*. Sed verum ejus nomen fuisse *alienus*, putat Hotomannus ad hunc locum, & Ciceronem ludere videri in ALIENUS; quasi diceret, nomine esse *Alienum*; re verò *suum*, dum ait: *Alienus noster*. Firmat id, quod duo Palatini M. SS. libri habent etiam *Alienus*; quam lectionem hîc admittendam esse, vult Gruterus: ita enim eundem vocari Cæsari in de bello civ. Num mentionem ejus fecerit Cæsar in libb. de bello civ. non satis memini; Sed apud A. Hirtium sive Oppium Commentar. de bello African. qui solet adjungi Cæsaris Commentariis, bis ejus nomen occurrit. Fuit autem Q. Ciceronis cum Tuberone & Gratidio legatus.

*De Gratidio.]* Videtur hic idem M. Grati-  
dus esse, quem Tullius in Bruto *doctum*  
*Gracis literis, & factum ad dicendum* prædicat.  
Nam cujus hic *fratrum* in Cicerone *amo-*  
*rem* laudat, eum in Bruto *propinquum* suum  
vocare videtur.

*Ita laborare de existimatione suâ, ut etiam*  
*de nostrâ labore.]* Legati de dignitate & exi-  
stimatione sua ita laborabunt, ut magis de  
publica, & cujus sunt legati laborent. Barcla-  
jus Argenid. lib. V. p. m. 669. *Cum illi (Le-*  
*gati) se prius, quam dominum fidemque respi-*  
*ciunt, rem patriæ, dignitatem, consilia, aut si-*  
*lendo aut annuendo prodi.* Quamvis ibi de  
legatis Regum aut Principum propriè loqua-  
tur, tamen ejus verba huc etiam commodè  
applicari possunt.

*Quæstorem habes, non tuo judicio dele-*  
*ctum, sed eum quem fors dedit.]* Quæstoris no-  
men ut patet, à *querendo* est: Quod pecunias  
publicas conquirit & reponat in fiscum. Ut  
jam de aliis Quæstoribus nihil dicam, hic au-  
tor noster, ut liquet, propriè de illo Quæsto-  
re loquitur, qui sorte creatus, cum Pro con-  
sule aut rectore provinciæ mittebatur in pro-  
vinciam ad tractandum provincialia vectiga-  
lia. Vid. Tacit. *Annal.* 11, 22. l. un. §. 2. *D. de offic.*  
*Quæst. Lips. de magistrat. Rom. cap. XVI.*

*Hunc oportet & sua sponte esse modera-*  
*rum, & suis institutis & præceptis obtemperare.*

Et

mox: *Non ut ea potestate, quam tu ad dignitatem permiffes, ad quæstum abuteretur.*] De potestate Quæstorum plura observarunt Brissonius lib. I. selectar. Antiquit. cap. XVII. & Rosinus l. X. Antiquit. Rom. cap. XL V. Sed in hoc loco Tullius de Officio Quæstoris quædam singularia & utilia monet: ut nimirum per se moderatus sit, nec tamen per se, quæ sui sunt officii, & ex sua auctoritate agat; sed institutis, præceptis, mandato, & instructioni, ut hodiè vulgò vocamus, superiorum convenienter & fideliter se gerat; & annuas actorum rationes edat. Ut potestate sua ad dignitatem & usum publicum ei concessa, non ad quæstum suum abutatur & publico, non sibi quæstor sit. Quamvis perspectæ integritatis quæstores suum officium satis facere sciant; velut Agricola, quem Tacitus 6, 3. in Asia *quæsturâ non corruptum fuisse* testatur; tamen non omnes suis moribus & fide, præsertim in tam obvia malis artibus se ditandi copiâ, continentur; nisi certis legibus, auctoritate magistratus, & rationum justo tempore reddendarum, bonaque mente refrenentur.

*Quorum si quis forte esset sordidior, ferret eatenus, quoad per se negligeret eas leges, quibus est adstrictus.*] Id est, ut Hotomannus interpretatur, si quis eorum forte ad rem attentior aut avarus esset, tantisper conniveres; dum

AN EPIST. CIC. AD QUINTUM FRATREM. 145  
ea admitteret, quorum ipse per se cul-  
m præstare deberet. Quod si præter pro-  
m & definitum legibus Quæsturæ munus,  
estatem aliquam ei commisisses, qua tur-  
er ad quæstum abuteretur; quia hoc ad di-  
tatem & existimationem tuam pertineret,  
m dissimulare non deberes. Unde nota-  
us: quæcunque ab administratoribus pu-  
ci muneris admitta possunt officere digni-  
ei & existimationi magistratus; ab eo non  
ut negligenda aut dissimulanda: ne exi-  
mationem suam & Reipub. negligere vi-  
atur.

*Neque mihi placet, præsertim cum hi mo-  
tantum jam ad nimiam lenitatem & ambi-  
nem incubuerint, scrutari te omnes sordes, ex-  
tere unumquemque eorum.*] Ita Tullius,  
m in Siciliam inquirendorum Verris faci-  
tum causa missus esset, ipse de se fatetur o-  
VI. lib. I. in Verrem: *Vim in inquirendo  
ntam habui, quantam mihi lex dabat, non  
ancam habere poteram istorum studio, quos  
vexant.* In hac rerum imbecillitate &  
corruptione morum non possunt omnes er-  
res tam accuratè inquire, & ad vivum sem-  
per refecari: sic enim.

*Cum modo quadam fieri pejora videmus.  
elut Pompejus, qui gravior remediis, quam  
delicta erant, suarum legum auctor idem ac  
K sub-*

subverfor fuit, apud Tacitum A. 3, 22, 3. Principem & magistratum interdum mutum & surdum esse oportet, præsertim in levioribus admissis; modò in cæteris homines ex fide suum faciant officium. Inde est in l. 6. D. de jur. & facti ignor. *Scrupulosa inquisitio non semper exigenda est.*

*Quos verò ex domesticis, convictoribus aut ex necessariis apparitoribus tecum esse voluisti.]* Post honoratos ministros, legatum & Questorem descriptos, nunc transit ad humiles, nimirum ad domesticos, convictores & apparitores.

*Qui quasi ex cohorte Pratoris appellari solent.]* Ministri & comites qui magistratum in provincias euntem sequebantur, quasi ex cohorte Pratoris esse dicebantur; translatione petita à cohorte illa in quam fortissimus quisque delectus erat, quæ à Pratoris latere in bello & castris non discedebat, & cetero munere militiæ vacabat, ut notat Festus in *Pratoria cohors*. Hodie nostris dicitur Gallica voce *Garde* hujusmodi cohors militum, qui Regis aut imperatoris belli corpori custodiendo destinata est. Eadem translatione usi quoque sunt alii auctores. Horatius lib. I. Sat. VII.

*Laudat Brutum, laudatque cohortem, :*  
ad quæ verba sic notat vetus Glossator :  
*cohortem comites dicit Bruti.* Lucilius :

*Ut Pratori cohors, ut nostris dixit baruspex.*

IN EP. CIC. AD QUINTUM FRATREM. 147  
ad quem versum in Notis suis hunc quoque  
Ciceronis locum laudat Franciscus Duza.  
Ita Juvenalis Satyr. VIII.

*Sit tibi sancta cohors comitum.*

*Horum non modo facta, sed etiam dicta omnia nobis prestanda sunt.]* Hoc est: Ita ministri regendi sunt à dominis & in officio continendi, ut in factis & dictis suis non temerè aliquem, ex abusu authoritatis aut facilitatis herilis, lædant ac offendant; nisi ipsi domini inde teneri velint. Præterquam, quod domini non planè extra culpam, sunt, si imprudenter & male elegerint negotiorum suorum curatores & ministros. Vid. sup. Notas ad verba: *Non te unum sed omnes ministros imperii tui.* Confer *l. 21. §. ult. D. de negot. gest. l. 3. D. de publican. & vectig.* Imò si uxor rectoris provinciæ quoque deliquerit, ab ipso ratio exigitur; Quod Senatus R. Cottâ & Messalâ consulibus, censuit. Vid. Ulpian. *l. 4. §. 2. D. de Offic. procons.*

*Rudis cum esses.]* Nondum satis gnarus eorum, quod recens in provinciam venisses.

*Ut quisque est vir optimus, ita difficilè alios esse improbos suspicatur.]* dum alios ex suo ingenio judicat. Terentius Andr. 4, 1. *Heu me miserum, qui tuum animum ex animo spectavi meo.* Ex hoc concinnatum est illud in Florilegio Gruteri:

*Alienum animum ex animo spectat probat suo. Ambros. Offic. 3, 10. Sancti ceteros de suo affectu aestimant.*

*Tertius hic annus habeat integritatem eandem, quam superiores, cautiolem etiam ac diligentiolem. ] Sic inf, circa finem epist. Tertius annus imperii tanquam tertius actus perfectissimus atque ornatissimus. Ubi plura dicam.*

*Sint aures tuae, quae id, quod audiunt, existimentur audire. Non in quas fide aut simulate questus causa insusurretur. ] Verba subobscura sic interpretatur Hotomannus: Plerumque, quum, multis praesentibus, alicui quid in aurem insusurratur, is, cui insusurratur, se audire dissimulat; ita qui adunt eximant, illum nihil audire. Monet igitur auctor Quintum, ne in suas aures quenquam insusurrare patiatur; Sed omnes palam & aperte loqui jubeat: ut, quod audivit, existimetur audivisse. Neque tamen hoc de celandis, aut occultis consiliis, quae honeste dissimulari possunt ac debent, & ad publicam rem pertinent, accipies. Quidam ministri demerendi dominorum favoris, suique commodi causa; vel quod ipsi domini sic velint, vera, falsa, blanda, placentia eorum auribus insusurrant, & haec tam curiose; ac si essent talia, qualia Jupiter Junoni in aurem dixit, ut Comicus loquitur. Quod Caesar lib.*



IN EPIST. CIC. AD QUINTUM FRATREM. 149  
II, bell. civ. *servire auribus* dixit, quando placendi studio fit. Quidam malo more sibi quidvis ferme, etiam quod tutò publicare licet, & inter amicos, in aurem dicere ministros aliove jubent aut patiuntur: quo facile apud fidos aut taciturnos sibi diffidentiae, aut quasi de ipsis non bene loquantur, suspicionem gignunt. Martialis in quendam Cinna lib. I. epig. XC. facete ludit, quod omnia omnibus in aurem diceret:

*Garris in aurem semper omnibus Cinna,*

*Garris & illud, teste quod licet turbâ.*

*Rides in aurem, quereris, arguis, ploras.*

*Cantas in aurem, judicas, races, clamas.*

*Adeòne penitus sedit hic tibi morbus,*

*Ut sepè in aurem Cinna Casarem laudes?*

Ne aliis idem morbus exprobretur, praestat arcana consilia; vel secreta in alium locum & tempus rejicere; nisi periculum in morâ sit; aut quæ tutò palam dici possunt, clam sibi in aurem dici non permittere. Praesertim inter amicos; ut hilariter frontem exporrigere, ita liberè & palam verba expromere illis liceat: ne de amicorum fide & candore dubitare, & quos lætos reddere volumus, offendere & tristes reddere videamur.

*Sit annulus tuus, non ut vas aliquod, sed tanquam ipse tu, non minister alienæ voluntatis, sed testis tuæ*] Sigonius lib. II. de jure provinc. c. V. notat: Quum conventibus in-

150 JOH. LOCCENII COMMENTARIUS  
dictis & convocatis alia domi, alia in foro  
cognoscerent rectores provinciarum, qua  
quidem domi transigebantur, ea ferè per di-  
plomata annulo obsignata perfecisse. In  
quam rem, præter alia auctorum testimonia,  
adfert hunc Ciceronis locum, & hæc divini-  
tus de annulo Quinto fratri esse præcepta,  
scribit. Mens autem horum verborum hæc est:  
Non cuivis credas annulum signatorium,  
tanquam instrumentum aliquod privatum,  
cujus usus amico facilè concedi, negarique  
non solet; sed tanquam tu ipse sit, qui te non  
cuivis temere & absque delectu vulgas; tuæ  
fidei & voluntatis declarationi ac firmamen-  
to, non aliorum libidini serviat. Confer Tur-  
nebi *Adversaria* lib. XXXVII. cap. I. & *Lykla-*  
*mam Membran.* 7, 34. Salutare autem hîc tra-  
ditur præceptum, omnium principum, re-  
ctorum provinciæ & magistratus animis in-  
scribendum: ut annulum signatorium, velut  
pectoris & voluntatis suæ testem, non cuivis  
credant, nec quidvis eo obsignari sinant:  
ne perfidus quis in fraudem domini vel alio-  
rum eo pessimè utatur, ut Iesabel Achabi an-  
nulo; sed fidelissimo committant, ut Pharaò  
Josepho *Gen.* 41, 42. Eruditi notant, præcos  
Reges ipsos custodes sigilli sui fuisse, tam-  
que diu illud gestasse, donec aliquem specta-  
tissimæ fidei hominem, cui id tutò commit-  
terent, consequi possent. Carolum Magnum  
capulo

capulo gladii sui, quò assiduè cinctus erat, Sigillum suum inclusisse ferunt: Nimirum ratus est ille, non minorem ejus, in quo existimatio & nomen Principis consisteret, quàm mucronis, in quo corporis tutela posita sit, curam & rationem conservandi esse. Nec minus interest dignitatis & existimationis superiorum, ne diplomata aliasve literas, per obreptionem fortè insinuatæ, aut non perlectas perpensasve subscriptione aut anulo suo facillè firment; nec scripturæ vacuas purasque chartas sigillo suo obfignandas, aut nominis subscriptione roborandas, alicui, nisi exploratissimæ fidei homini, tradant. De his fusè Kirchmannus in libro singulari de Annulis cap. XLV. & Kirchnerus de dignitate & officio Cancellarii lib. IV. cap. II.

*Accensus sit eo numero.]* Quidem à censu & comitiis, ad quæ vocaret populum, alii volunt ab accièdo dictū esse *accensam*, quod acciret ad Prætorem, qui jus poscebant, & horas inclamaret, & silentium obstrepentibus imperaret. Vide Janum Gulielmum de magistratu pop. Rom. cap. XXXII. & Rosinum Antiq. Rom. 7, 42.

*Qui hoc non in beneficii loco, sed in laboris ac muneris, non temerè nisi libertis suis deferebant: quibus illi quidem non multò secus ac servis imperabant.]* libertis hoc munus accensorum

rum à Romanis fuisse concessum, etiam allibi Cicero, nimirum lib. III. Fam. epist. VIII. ad Appium & de se ipso testatur: *A Pausania, Lentuli liberto, accenso meo, audivi.* Concessum autem illis erat laboris ac officii, non beneficii loco accensorum munus: ut se ministros magistratus ad serviendum, non imperandum electos meminissent; ideoque humiliter & modeste se erga eos & quoscunque alios gererent. Illud etiam hodie qualescunque ministros dominorum suorum, recordari fas est.

*Sit licitor non sue sed tue lenitatis apparitor.* ] Lipsius Elect. 1, 23. hic primo legendum putabat; *Sit licitor mansues & tue lenitatis apparitor.* Postea prætulit, quod erat in Fulvii Ursini Codice: *Sit licitor non sævitie, sed t. l. a.* in nostra vero editione est: *Non sue sed t. l. a.* Quicquid sit, sententia verborum hæc est: Adhibeat licitor eam vel severitatem (non tamen sævitiam) vel lenitatem, non quæ ipsi, sed quæ tibi videbitur. Quum licitorum apud Romanos triplex esset officium, ut Lipsius dicto loco notat, summoveere turbam, fontes palo alligare, virgis cedere & securi ferire, atque magistratui fasces præferre, solebant eo officio nonnunquam in nonnullos abuti & modum in animadvertendo excedere: non se suâ, sed domini aut magistratus fortunâ æstimantes. Cum contra *ministri*  
ita

IN EPIST. CIC. AD QUINTUM FRATREM. 153  
*ita formandi sint, ut se non domini, sed suâ fortunâ metiantur, ut loquitur Plinius in Paneg.*  
Et ex magistratus, non suo arbitrio justaque moderatione suum faciunt officium. De illis inf. plura ad illa verba: *Apud quem primus licitor quievit, tacuit accensus.*

*Majoraque præferant fasces illi ac securis dignitatis insignia, quàm potestatis.* Prætores aut proprætores in provinciis sex licitoribus utebantur, qui ipsis fasces virgarum, in quarum summo securis exstabat, præferabant; de quibus prolixè Briffonius lib. III. Select. Antiqu. cap. XIII. Lipsius de magistratu Rom. cap. X. & alii. Hi fasces non solum dignitatis, sed etiam potestatis ac jurisdictionis insignia erant. Unde in l. 53. Cod. de Decur. *potestas fascium* dicitur; & noster inf. ipse: *Ut remoto imperio potestatis & fascium.* Cur ergo vult hic fasces ac securis majora dignitatis, quàm potestatis insignia præferre. Non excludit ab illis omnem potestatem, sed nimiam asperitatem, aut sævitiam: & ad dignitatem, reverentiam, & æquabilem justitiæ usum ac legitimam potestatem iis uti Prætores, syadet. Plutarchus in Quæst. Rom. LXXXII. præter alia scitè disquirat, cur Prætorum fasces colligati ferrentur appensis securibus? An, inquit, id signo erat, iram magistratus non oportere esse præcipitem, nec planè

154 JOH. LOCCENII COMMENTARIUS  
dissolutam? An solutio fascium, quæ paula-  
tim fit, moram aliquam iræ injicit & cuncta-  
tionem; & nonnunquam fecit, ut sententia  
de supplicio exigendo mutaretur? Jam quum  
vitiatorum alia sint sanabilia, alia insanabilia,  
virgis corrigebantur, qui emendari poterant,  
securibus amputabantur immedicabiles. Hoc  
est insigne monitum de moderatione pœna-  
rum, de qua pulchrum quoque Senecæ di-  
ctum observandum est lib. I. de Clementia  
cap. II. *Addibenda est moderatio, quæ sanabi-  
lia ingenia distingvere à deploratis sciat. Nec  
promiscuam habere ac vulgarem clementiam o-  
portet, nec abscissam. Nam tam omnibus igno-  
scere, crudelitas est, quam nulli. Modum te-  
nere debemus. Sed quia difficile est tempera-  
mentum, quidquid æquo plus futurum est, in  
partem humaniorem præponderet. Et illud Ju-  
venalis sat. VIII. maximè huc facit:*

*Quod si præcipitem rapit ambitus atque li-  
bido,*

*Si frangis virgas sociorum in sanguine, si te  
Delectant hebetes lassò liëtore secures,  
Incipit ipsorum contra te stare parentum  
Nobilitas, claramque facem præferre puden-  
dis.*

Cato apud Plutarchum in Apophthegm.  
parcè potestatem suam usurpare monebat po-  
tentes, ut eam liceret semper habere.

*Hæc*

*Hæc opinio fit, non modo iis qui aliquid acceperint, sed iis etiam qui dederint, te inimicum, si id cognoveris, futurum.]* Egregium remedium contra corruptionem, est magistratus odium & animadversio non solum in muneribus corruptos, sed etiam corrumpentes. Sic apud Athenienses corruptionis actio non solum in munera accipientem, sed etiam dantem erat, teste Julio Polluce lib. VIII. Onomastic. Vid. quoque *l. 6. Cod. ad leg. Jul. repetund. & Nov. 124. c. 2.*

*In tuos aut durum esse nimium, aut suspiciosum.]* Illud odium, hoc diffidentiam parit.

*Nihil est, quod non committi iis putem.]* Si quis enim, ubi est obvia rem faciendi copia, nullum avaritiæ signum intra biennium det, hunc abstinentem esse & fidum dixeris. Nisi fide abstinentiæ sibi adquisitâ, cum tempore & ex occasione securiorem in aliena grassandi licentiam inde sibi sumat; ut nonnunquam fieri solet. Hic ergo vel spectatissimo cuique res mandandæ sunt, ut Tacitus A. 4, 6, 6, loquitur, vel, si degenerare velit, severitatis repagulum licentiæ obstruendum est.

*Ut ego Casium & Cherippum; & Labconem audio.]* Horum mentio quoque exstat lib. I. ad Quintum frat. ep. III. & lib. III. ep. I.

*In provincia verò ipsa] Hoc est tertium primæ cohortationis caput de provincialibus, quomo-*

quomodo erga illos Quintus se gerat : inprimis ut vitet nimias peregrinorum mercatorum Græcorum & publicanorum miliaritates ; omnibus tamen bonis fidei.

*Huic quantum credendum sit, videlicet in modum Plinius lib. VI. ep. XXI. nem, provinciam Baticam sortitum, monet, ne cuiquam nimis fidat. Quamvis etiam lentis fides prompta sit ultio ; tamen non credendum esse vindicari, quàm decipi misere.*

*Multis simulationum involucris tegitur, cujusque natura, frons, oculi, vultus mentiuntur, oratio sepiissime.* ] Adfert aliam rationem, cur non omnibus fides sit : quod plures boni esse videantur aut lent, quàm revera sint ; insigni additentiâ de simulatione hominum : quod *se, vultu sermone facile sustinetur*, ut quoque I. Famil. ep. IX. & ejus exemplum habet in orat. Pro Cluentio, de Staleceto, & aliis alibi. Et quid hodie talibus frequentius est ? Non ergo fronti, vultui, nisi semper fides habenda est : nisi facti congruant. Quod etiam proverbium est *Fronti nulla fides*. Confer etiam Notas in titulum ad illud Petronii : *Totus mundus histrioniam*.

*Ex eo genere hominum.* ] Per hos intelligit negotiatores in provincia, aut mercatores.



*Careant iis rebus omnibus.*] Nimirum patriâ, conjuge, liberis, cognatis & amicis; ut rectius explicat Hotomannus, quàm Manutius. Dum enim pecuniæ cupiditati addicti, lucri sui causa, & domi; & præsertim in exteris locis commercia sectantur, interea relinquunt patriam, uxorem & reliqua sibi chara, præ pecuniæ studio, ut notum est.

*Te autem alienum hominem ament ex animo, ac non sui commodi causa simulent.*] Si pecuniam & lucrum dicto modo magis ament, quam suos & domesticos, quomodo ament te tanquam alienum ex animo? nisi commodi sui causa simulent se amare; hæc est vis argumenti. Qui verò commodi sui causa aliquem amant, non ex animo, sed fictè & simulatè amant, verè se ipsos, & suam utilitatem. Ut enim Tacitus Hist. lib. II. ait: *pessimum veri affectus venenum est sua cuique utilitas.*

*Tui amantiorem quam temporis ad numerum tuum adscribito.*] Vult Cicero, fratrem delectum amicorum habere, & eos ad numerum amicorum suorum adscribere, qui ipsius, quàm temporis amantiorem sint. Multi enim temporum causa multa faciunt, quæ tui causa facere videntur. De talibus etiam Tullius lib. I. ad Q. fratrem epist. II. *Pertusum est levitatis, assentationis amicorum, non officii, sed temporibus servientium.*

Qui

158 JOH. LOCCENII COMMENTARIUS  
Qui verò nobis magis, quàm tempori sunt  
amici, in numerum fidorum amicorum reci-  
piendi sunt; qui tempori magis, quàm nobis,  
illi sibi & tempori relinquendi sunt.

*Nullum erit genus in familiaritate caven-  
dum magis: propterea quod & omnes vias pe-  
cunie norunt, & omnia pecunie causa faciunt.*]

Eorum familiaritatem vitandam esse monet,  
qui omnia pecuniæ quærendæ compendia  
norunt, & omnia pecuniæ causa faciunt. Illi  
enim non tam virtutē, quam utilitate capi-  
untur: quæ potius mercatura quædam, quàm  
amicitia est, ut Basiliius in Parænes. ad filium  
cap. XXVI. eam vocabat. Tacitus Annal.  
II, 6, 2. *Ne fidem quidem integram manere, ubi  
magnitudo questuum spectatur.*

*Atque etiam è Græcis ipsis diligenter caven-  
da sunt quaedam familiaritates.*] Græci non  
pauci in Asia quoque degebant, ut ex eorum  
urbibus constat. Cum his quoque familiari-  
tatem contrahendam esse negat, (exceptis  
paucis bonis, veterè Græcia adhuc dignis)  
ob sequentes rationes:

*Fallaces sunt permulti & leves, & diutur-  
na servitute ad nimiam assentationem eruditi.*]  
De eorum fallacia & levitate testatur etiam  
Cicero lib. I. ep. 2 ad Q. Frat. *Græcorum inge-  
nia ad fallendum parata.* Fallaces etiam so-  
lent assentari aliis: ut placendi studio fidem  
mereantur, eoque facilius decipiant illos.

Præter-

Præterquam quod Græci jam dudum alieno jugo subacti, per gravem servitutem ad adulandum eruditi erant. Servitus enim magister & nutrix assentationis est. Plinius lib. III. ep. V. *Omne studiorum genus paulo liberius & cretius servitus periculosum facit.* & Tacit lib. I. Hist. *Adulationi sædum crimen Servitutis mest.*

*Quos ego universos adhiberi liberaliter, optimum quemque hospitio amicitiaque conjungi dico oportere, nimia familiaritates eorum &c.]* Cicero docet quidem fratrem suum & hic, & alibi, nimirum lib. XII. familiar.: ep. XI. Valerium procons. *omne genus liberalitatis ac humanitatis non modò re, sed etiam verbis, vultu denique exprimere: hoc enim plurimum in provincia valet; nimias tamen provincialium familiaritates cavere: Quod non tam fideles sint omnes, quàm videntur: dum non audent aduersari dominorum, quibus subjecti sunt, voluntatibus; & invident non nostris solum, sed etiam suis, ut Cicero docet. Præter hæc nimia familiaritates & aliis, & præcipue personis pub. ac rectoribus provinciarum ob hoc fugiendæ sunt, ne auctoritas & existimatio illorum iisdem vilescat. Callistratus in l. 19. D. de offic. pres. prudenter in hanc rem monet: *Observandum est jus reddenti, ut in adeundo quidem facilem se præbeat, sed contemni non patiatur. Unde mandatis ad-**

*jicitur:*

*jicitur: Ne in ulteriorem familiaritatem provinciales admittat: nam ex conversatione equali contemptio dignitatis nascitur. Et Lipsius in Politic. 2, 16, 10. Viles plerumque, qui nimium civiles.*

*Jam qui ejusmodi rebus.) Hoc est quartum primæ cohortationis caput, de servis in disciplina rectè continendis, nec aliquo reipub. negotio illis temerè committendo.*

*Ut ita se gerant in istis provinciis, ut si iter Appiâ viâ faceres, neve interesse quicquam possent, utrum Tralles, an Formias venerint.] Via Appia ab Appio, qui eam quinque dierum itinere stravit, ita dicta est, in ipsius Italiæ luce sita. Tralles erant Cariaë in Asia minore urbs, Formiæ, Campaniæ urbs. Sensus autem horum verborum hic est: ut Quinti servi in æquo ponant, quocumque venerint aut missi fuerint; ut iter eorum sit profectio, non grassatio in provinciales, eaque modestiâ; versentur in exteris locis, quâ in domesticis aut Italia. Quod ut faciant, regendos & coercendos esse, docet. Non nulli enim ministri, domi tractabiliores, dominorum suorum respectu; si in externa loca mittantur, istic, quasi liberiores aërem nacti, petulantè agunt; nisi severè cohibeantur.*

*Multa quæ rectè committi servis fidelibus possunt, tamen sermonis & vituperationis causa committenda non sunt.] Eximium & observatione*

IN EPIST. CIC. AD QUINTUM FRATREM. Iste  
tione dignum monitum. Servi privatis &  
domesticis rebus adhibeantur; non autem  
publicis. Quamvis enim, fide & industria  
eorum perspectis, etiam quædam negotio-  
rum publicorum illis committi possent; fi-  
nistri tamen hominum sermonis & vitupe-  
rationis fugiendæ causa, illis committenda  
non sunt. Sermo & vituperatio talis esse  
queat: Quasi non alios habeas idoneos,  
quàm servos, quibus graviora reipub. nego-  
tia credas; aut quasi reipub. curam tam vi-  
lem habeas, ut ejus partem infamæ conditio-  
nis hominibus committas. Sed & viles ab-  
jectique, magnarum rerum administratores  
facti elatique magnopere aliquando Reipub.  
(& provincialibus, qui eorum jugo subesse  
coguntur) nocuerunt; Quod Aristoteles  
lib. II. Politic. cap. IV. & cum eo experien-  
tia loquuntur; ejusque rei culpam ad ipsos  
tandem dominos redundasse constat; ut  
cum Pamphilo Terentiano conquererentur:  
*Servone fortunas meas (imo publicas) me com-  
misisse futili? ergo præcium ob stultitiam fero.*  
Præter hæc, negotium per se grave aut ma-  
gnum, per obscuros & humiles ministros vile  
redditur, & ob ministros ipsi domini & Prin-  
cipes contemptui habentur: Quorum existi-  
mationis non exigua pars & dignitas etiam  
ex ministris eorum publicis æstimatur. Fri-  
dericus de Marselaer lib. I. Legat. diss. XI. *Vi-  
sistere & ipsi & viles videntur, qui viles tan-*

tum adhibent. Vilefcit pariter negotium, quod viro imi subfellii committitur: Qui si abjectè & pro genere se gesserit, & munus suum & majestatem commaculat Principis: Si generosè ac splendide conditionis suæ immemor, ludibrio se exponit. Inquam rem adducit hunc Ciceronis locum; & exemplum tonsoris vel chirurgi Oliverii, quo Ludovicus XI. Rex Galliarum usus est. Ex historiâ Suetica novimus, quum Stephanus Rex Poloniæ ad Johannem III. Regem Suetiæ Dominicum Alemanni Italum regiæ culinæ magistrum, negotii publici causamississet; licet ille nullo non loco in Polonia esset; non paucos hîc in Suetiâ miratos esse, cur Rex Poloniæ non honoratiorem huc mississet; & Regem Johannem etiam illum, ut culinæ præfectum tractari curasse. Sed mox subsecutus Versevicius, publicus Legatus, magnificè exceptus est. Velut ergo gubernaculum navis non remigi aut sentinam exhaurienti committitur, ita nec majus negotium vilioribus est temere committendum. Excipiendi tamen hîc sunt qui ex humili loco in altiorem virtute & prudentia suâ emergentes, & in eo decenter ac modestè versantes, se dignos & aptos majoribus negotiis probârunt. Hîc autem de vilibus & servis maiori negotio curando indignis, sermo est. Tacitus eo nomine laudat Agricola, quod *nihil publicæ rei per libertos servos*

*que gesserit, ut olim multi Principes Romani, de quibus Plinius in Panegyri. Confer etiam Lipsium Politic. 3, 10, 5.*

*Sed nescio quo pacto ad præcipiendi rationem delapsa est oratio mea.* ] Modesta excusatio Ciceronis de præceptis Quinto fratri datis, cum adjecta laude fratris.

*Quare sint hæc fundamenta dignitatis tue* ] Claudit hic *prima cohortationis partes* in integritate & continentia Quinti; in pudore omnium (qui disciplinæ prodest Tac. Hist. 3, 2, 7.) in delectu amicitia provincialium & Græcorum; in constanti gravique disciplina familiæ, præsertim depravatâ moribus provinciâ; & ideò bene esse observanda, quæ sint fundamenta dignitatis ejus.

*Hæc institutio atque disciplina.* ] Sequitur *pars altera cohortationis ad peculiarem Quinti personam & officium* præcipuè directâ. Ejus quoque quatuor, quot prioris, capita sunt. *Primum caput* præcepta dat *de jure æquabiliter dicendo*, & moderanda acerbitate in suppliciis.

*Nisi forte me Paconii nescio cujus.* ] Hæc formula *nescio quis* vel *quid*, vel *cujus*, uti solent auctores, quum de homine obscuro, ignoto, vili aut scelerato, mentione vix digno, ut hîc de Paconio & Pescennio, improbis & avaris negociatoribus in Asiâ; vel de re contemnenda, aut etiam obscurâ, dubiâ &

164 JOH. LÖCCENII COMMENTARIUS  
incertâ loquuntur. Exempla apud auctores  
passim obvia sunt. Præter alia vide apud Ci-  
ceronem ad Attic. VII, 2. & Florum, 4, 2, 72.

*Mysii aut Phrygis potius.*] Quàm contem-  
ti Mysii aut Phryges ob mores pravos essent  
apud Græcos & Romanos, constat ex hoc  
loco, & oratione Ciceronis pro L. Flacco:  
*Utrum nostrum est an vestrum vetus hoc prover-  
bium: Phrygem plagis fieri solere meliorem?  
Quid porro in Græco sermone tam tritum atque  
celebratum est, quàm si quis despiciatui ducitur,  
ut Mysorum ultimus esse dicatur?* Confer e-  
undem ad famil. lib. 3, epist. 10. & Erasmus  
in Adag. *Phryx plagis emendatur*, item *My-  
sorum postremus*: Quibus gentis despectus  
notatur. Erant autem Asiæ minoris populi.

*Querelis moveri putas, aut Tuscenii homi-  
nis furiosi ac forâidi vocibus.*] Hi sunt illi for-  
didi & impudentes negotiatores in Asia, quo-  
rum Cicero circa initium hujus epistolæ quo-  
que mentionem facit in his verbis: *Dum im-  
pudentia nonnullorum negotiatorum resisto.* In  
hos, propter insignem eorum avaritiam &  
fordes, Quintus severius consuluerat; Quò  
author respicit in his antecedentibus verbis:  
*In rebus statuendis decernendisque eam severita-  
tem, quâ tu in iis rebus usus es, ex quibus non  
nullas similtates cum magnâ meâ letitiâ susce-  
ptas habemus.* Et mox inf. *Cujus tu ex impurif-  
simis faucibus inhonestissimam cupiditatem eri-  
puisti*



*puisti summâ cum æquitate.* Quum verò dicti isti negotiatores à Quinto indignius & asperius tractati sibi esse viderentur, Romam querendi & exoptulandi apud Senatum de Quinto causa profecti sunt. Inde sunt istæ eorum *querela, voces & similitates*, de quibus ante auctor. Illis non tantum non *moveri*, sed etiam *letari*, præsertim in justâ causâ, fas esse ostendit. Quamvis autem plerumque aliquid querulum plebi adversus imperantes, præsertim in provincia, insit; ut etiam Seneca consol. ad Helv. cap. 17. testatur; *Loquax & ingeniosa in contumeliam præfectorum provincia, in qua etiam qui vitaverunt culpam, non effugerunt infamiam*; tamen si imperans aut præfectus provinciæ pravis hominum cupiditatibus & facinoribus justè obstet & officii sui ratio ipsi satis constet, atque, si necesse sit, legitime defendatur; malevolorum querelis, calumniis & offensionibus nihil percelli debet. Principem & magistratum offensionum pro utilitate publicâ impavidum esse oportet, ut Tacitus Annal. 3, 54, 10. & 6, 32, 2. docet. Querelæ & Offensiones vulgi, si injustæ sint, vel tolerari, vel contemni possunt; & contemtu facile exolescere, aut instar nubeculæ citò transire solent. Vir prudens, justus & cordatus, Christophorus Thuanus, Præses Senatus Parisiensis, quum post decisas lites, litigatorem aliquem, qui causa cecidisset, tri-

stem aut iratum vidisset : *Et hoc, ait, meritò ferendum est. Per me enim semper licebit amittenti litem irato esse vel tristi horas quatuor & viginti, ut est in vita Thuani.*

*Hac & catenam plenam severitatis, qua statuisti in ista provincia, non facile sine summâ integritate sustinebimus.]* Severitate quandoque opus est, si venia aut mitiori supplicio graffantia delicta coerceri non possint, nec debeant. Ea tamen severitas rectâ disciplinâ, ut ante dixit, & summâ integritate, de qua mox plura, tuenda est.

*Sit summa in jure dicendo severitas, dum modò eâ ne varietur gratia, sed conservetur æquabilis.]* Hic primi adhortationis capituli in parte secunda propius & pressius initium fit, de jure in provincia recte dicendo. Jus severe, constanter, & tamen æquabiliter dicendum est: ut nihil ad gratiam fiat: ut summi cum infimis pari jure retineantur: ut egeni & infirmi per adversariorum potentiam non opprimantur; quod si fiat, ad invidiam ejus, qui provincie præest, non parum spectat, ut Ulpianus loquitur in *l. 9. §. 5. D. de offic. procons.* Quomodo verò severitas integritate tuenda sit, Ammianus Marcellinus ostendit in exemplo prætextati lib. XXVII. *Præfecturam urbis sublimius curans, per integritatis multiplices ætulus & probitatis adeptus est id, quod rarò contingit, ut, cum timeretur, amorem non perderet civium.*

IN EPIST. CIC. AD QUINTUM FRATREM, 167  
civium. Et mox ibid. In examinandis litibus  
ante alios id impetravit, quod laudando Brutum  
Tullius refert, ut cum nihil ad gratiam faceret,  
omnia tamē grata esse viderentur, quae facillitabat.  
Ita de Honorio Claudianus

*Non odium terrore moves, nec frena resolvit  
Gratia.*

Moribus autem nostris quod obiter obser-  
vandum, differt Judex provincialis à præfe-  
cto provinciæ; ille juri dicendo, hîc exse-  
quendo præest, quoties opus est, præsertim  
in parœciis, & urbe,

*Sed tamen parvi refert, abs te ipso jus dici  
equaliter & diligenter, nisi idem ab eis fiat, qui-  
bus tu ejus numeris aliquam partem concesseris.]*

Proconsules & Prætores in provincia Legatis  
suis mandabant aliquam jurisdictionem,  
quam hîc intelligit auctor; sed plenam juris-  
dictionem & gladii potestatem ipsi retine-  
bant & sibi servabant. Ita Tullius mox: *Eane-  
gotia tota jurisdictione maximè sustineri* Confer  
eundem *Verrina I. & IV. item l. 4 §. 6. l. 5. 6. 7.  
§. 2. l. 11. 12. 13. D. de offic. procons., item l. 1. &  
seqq. D. de officio ejus cui mandata est jurisdictio.  
Cuiac. obs. 7. 21. Rosin. Antiq. R. 7. 44.* Illa  
autem mandata jurisdictio eadem fide & in-  
dustriâ administranda est, qua principalis:  
ne, quod in capite sibi & toto constat, in  
partibus deficiat. Confer etiam *tit. Cod. de  
Offic. rect. prov.*

*Scientia provincialis ratio.* ] Ut scias provincialibus secundum causarum merita, aut litium naturam jus ex edicto reddere.

*Constantia est adhibenda & gravitas, que resistat non solum gratie, verum etiam suspicioni* ] Cum justitia etiam conjungenda est & adhibenda constantia animi & gravitas à Pratore vel rectore provinciæ, aut jus dicente. Confer l. 19. §. 1. D. de offic. Præf. qua etiam constantem & rectum judicem requirit. De Agricola Tacitus: *Ubi conventus ac judicia poscerent, gravis, intentus, severus.* Cur constantia & gravitas adhibenda sit, causam addit: ut per eas resistat non solum gratie (de qua ante) sed etiam suspicioni; ita nimirum, ut non solum non de alio ex solâ suspicionem judicet, sed ut ipse quoque non temerè de se in munere suo sinistrae suspicioni ansam præbeat. Ut enim Cicero in orat. pro L. Flacco ait: *Præture jurisdictio est res varia & multiplex ad suspensiones & similitates.*

*Adjungenda est facilitas in audiendo, lenitas in decernendo, in satisfaciendo ac disputando diligentia.* ] Jus diciturus facilis in audiendo (in audiendo est in l. 15. D. de offic. præf.) lenis non acerbus in dijudicando sedulus in disputando & satisfaciendo litigantibus erit. Summatim ita jus reddet, ut auctoritatem dignitatis ingenio suo augeat, ut est in fine d. l. 19. Confer Hotomanni Notas.

*His rebus nuper Cn. Octavius jucundissimus fuit.*] Proponit in hanc rem exemplum Cr. Octavii, qui Macedoniae praerat, quo etiam Suetonius in Octavio cap. III. respexisse videtur his verbis: *Epistola M. Tullii Ciceronis exstant (hæc & sequens) quibus Quintum fratrem eodem tempore parum secundâ famâ proconsulatum Asia administrantem hortatur & monet, imitezur in promerendis sociis vicinum suum Octavium.* Confer. Notas Andreæ Schotti in Cornelii Nepotis vitam Attici ad illa verba: *Assulam Pratoris.*

*Apud quem primus licitor quievit, tacuit accensus.*] Primus licitor dicebatur ab ordine euntium: ibant enim singuli licitores, non bini ternive conjunctim, sed singuli in lineam: quod Lipsius Electorum 2, 23. ex Junii Bruti Nummis probat. Primi licitoris præter alia, officium erat, turbam, in quam primus ille incidebat, submovere voce, manu, virgâ, ut sup. jam ad ea verba, *sic licitor non suæ, sed tuæ lenitatis apparitor*, ex parte notavi; hunc autem licitorem apud Octaviû quievisse dicit, i. e. non vi summovisse homines aut asperius tractasse. Plinius in paneg. eâ quoque causâ laudat Trajani ingressum vel accessum: *Silentes quietosque licitores tuos sequebare.* Munus autem *accensi* inter alia erat, silentium obstrepentibus aut nimis loquacibus imperare, vid. sup. Notas ad ista verba *Accensus sit eo numero;*

170 JOH. LOCCENII COMMENTARIUS  
hunc accensum apud Octavium tacuisse dicit  
Cicero : ne importunè silentium indiceret  
causam dicentibus. Hoc Cicero vult Quintum  
aliosque imitari iudices ac magistratus : ne  
nimis difficiles sint in audiendo clientes , nec  
nimis imperiosi per suos ministros.

*Quoties quisque voluit dixit & quàm vo-  
luit diu* ] Idem de Trajano prædicat Plinius :  
*Hæret lateri tuo quisquis accessit, sinemque ser-  
moni suus cuique pudor , non tua superbia facit,*  
Hæc audiendi clientes patientia etiamsi nimia  
lenitas aut comitas videri possit , tamen præ-  
stat severitati, aut severitatem ita temperat : ut  
hominibus non sit terrori aut odio. Qua de  
re auctor mox plura addit.

*Syllari homines.* ] Syllæ affectæ & clien-  
tes. Ille verò quum Dictaturam violenter  
exercuisset , & passim subornasset alienarum  
fortunarum ac bonorum prædones , C. Octa-  
vius per vim & metum ablata, quibus abstu-  
lerant, eos reddere iussit. Inspice Hotoman-  
ni Notas.

*Qui in magistratibus injuriosè decreve-  
rant , eodem ipsis privatis erat jure utendum.* ]  
Convenit hoc edicto Prætores : Ut, quod  
quisque juris in alterum statuerit, ipse eodem u-  
tatur ; de quo in lib. 2. Pandect. tit. 2. plura  
& quod Gellius Noct. Attic. lib. XX. cap. I.  
ait : *Quæ acerbitas est , si idem fiat in te , quod  
jute in alios feceris ?*

*Hæc*

*Hæc illis severitas acerbâ videretur, nisi multis condimentis humanitatis mitigaretur, quod si hæc lenitas grata Roma est &c. Quam jucunda tandem prætoris comitas in Asia potest esse?]* Gravitas & severitas præfecti provinciæ comitate & lenitate quadam in judicando mitigata, benevolentiam civium, in primis fidem, amorem & quietem provincialium retinet. Et hoc temperamentum lenitatis cum severitate ubique gratum & jucundum est, præsertim in provincia, ob allatas à Tullio rationes.

*Sic se adhibere in tanta potestate, ut nulla alia potestas ab iis quibus præsit, desideretur.]* Id est, sic se gerere, ut nullius ultra potestatis opem desiderent provinciales.

*Cyrus ille à Xenophonte non ad historia fidem scriptus, sed ad effigiem justî imperii.]* De eo quoque legi meretur judicium Vosii in de Historicis Græc. lib. I. cap. V. & Casselii Propolit. cap. XXVI.

*Cujus summa gravitas ab illo philosopho cum summa comitate conjungitur.]* Ita Tullius ep. 2. lib. I. ad Q. Fratrem: *Quod cum ii, quos nominavi, te innocentia non vincant, vincunt tamen artificio benevolentia colligenda, qui neque Cyrum Xenophontis neque Agesilaum noverint: quorum regum summo in imperio nemo unquam verbum ullum asperius audivit. Si eâ animi moderatione tanti Reges fuere, magis ea decebit inferiores; imò alios quoque superiores.*

*Quos*

*Quos libros non sine causa noster ille Africanus de manibus ponere non solebat*] Scipio Africanus. De eodem Tullius lib. II. Tusc. Quæst. *Semper Africanus Socraticum Xenophontem in manibus habebat.* Præsertim ejus de Cyro libros: Quod in iis nullum diligentis & moderati imperii officium intermissam est, ut eos hic laudat auctor, & viris principibus commendat.

*Ad quas revertendum est.*] Quum decedentes provincia domum redierint & imperium deposuerint.

*Huc omnia esse referenda ab iis qui præsumunt aliis, ut ii qui eorum in imperio erunt, sint quam beatissimi.*] Hic est scopus imperantium, nimirum beatitudo, felicitas & salus eorum qui reguntur. De his plura Plato in Eutyphrone, & ad ejus imitationem Tullius ad Atticum lib. VIII. epist. XI. & I. Offic. Vide quoque inf. Notas ad illa verba: *Quapropter incumbere, ut esse quam beatissimos velis.*

*Est non modo ejus, qui Sociis & civibus, sed etiam ejus, qui servis, qui mutis pecudibus præsit &c.*] Confer Notas inf. ad illa verba: *Tamen esse humanitatis tuae &c.*

*Cujus quidem generis constare inter omnes video, ab te summam adhiberi diligentiam.*] Hoc est alterum caput secundæ cohortationis partis, in quo, præmissa laude Quinti de provinciæ bono ac salute procurata, in æris alieni



IN EP. CIC. AD QUINTUM FRATREM. 173  
alieni provinciæ solutione, in urbium refe-  
ctioe, in seditionum, latrociniorum & ca-  
lumniarum repressioe, tributorum & sumtu-  
um moderatione, facili tam pauperum, quam  
divitum admissoe benignoque imperio,  
tandem adhortationem subjungit ad con-  
tinuandum boni publici ac provincialis stu-  
dium.

*Nullum æs alienum novum contrahi civi-  
tatis; vetere autem magno & gravi multas  
abs te libertas esse urbes.]* Non exiguo est so-  
latio ac levamento provinciæ, si provideat  
magistratus, ne novum æs alienum grande  
contrahatur. Hoc fiet circumcisus superva-  
caneis sumtibus, abstinentiâ publicâ & priva-  
tâ, industriâ rei familiaris, & justâ ac tempe-  
stivâ crediti solutione. Ad Cic. ad Attic.  
5, 21. & 6, 2. ad fam. 3. 8. 2. Offic. Plin. lib. X. ep.  
52 53. Si etiam curet rector provinciæ, ut vete-  
ri ære alieno, in certas partes dividendo, &  
ad certa annorum tempora ac solutionis ter-  
minos, ut vocant, beneficio tributorum ac  
redituum, quàm citò fieri potest, solvendo,  
liberentur urbes; & annona quæcunque pro  
æquo pretio, præsertim egenis & colonis ven-  
datur, non parum allevabitur publicus pro-  
vinciæ status.

*Urbes complures dirutas ac penè desertas,  
in quibus unam Jonia, alteram Caria, Samum  
& Halicarnassum, per te esse recreatas.]* Samus  
Joniz,

174 JOH. LOCCENII COMMENTARIUS  
Jonæ, Halicarnassus Cariæ, in Asiâ minore,  
nobilissimæ urbes erant. Urbes autem & o-  
pera publica pro viribus reipub. vel refici, vel  
subsidiis populi, si iis egeant, levare, ex digni-  
tate & usu provinciæ est. Confer l. 1. 7. §. 1. D.  
de Offic. procons l. 7. D. de Offic. præf. & tit. Cod.  
de operib. pub.

*Nullas esse in oppidis seditiones, nullas dis-  
cordias.*] Quietas & concordēs esse civitates,  
facit ad conservationem universi status pub.  
De præcavendis autem seditionibus ac dis-  
cordiis, earumque remediis, præter veteres, ha-  
bes apud Lipsium Politic. 6, 4, 21. & seqq.

*Ut civitates optimatum consiliis administrentur.*] Illa quoque tranquillī status servandi  
& seditionum reprimendarum ratio una est,  
si civitates optimatum & senatus auctoritate  
ac consiliis, non ex imperitæ ac male consul-  
tæ plebis libidine, regantur Vide Cic. orat.  
pro L. Flacco & Hotomanni Notas hîc.

*Sublata Mysia latrocinia.*] Mysia erat mi-  
noris Asiæ, quam regebat Quintus, regio.  
Tolli latrocinia & rapinas, ac purgari pro-  
vincias prædonibus, maximè facit ad pacem  
publicam, itinerum & commerciorum secu-  
ritatem, & quietem provinciarum. Quomo-  
do vero tollenda sint latrocinia & prædationes,  
exemplo suo Augustus & alii docuerunt:  
si nimirum dispositis per infesta latrocinii  
aut suspecta loca stationibus equitum, latrones

IN EPIST. CIC. AD QUINTUM FRATREM. 175  
nes conquirantur, severeque peccantur,  
& receptatores eorum, sine quibus diu la-  
tere nequeunt, debito modo coerceantur;  
Confer Ulpianum in l. 3. & 13. D. de Offic.  
praesid.

*Remotam ministram avaritiae Praetorum  
calumniam.*] Calumniam vocat ministram a-  
varitiae Praetorum: Quod avari Praetores so-  
lebant innocentium aut suspectorum, modò  
locupletes essent, famae, fortunatum, otii ca-  
lumniatores subornare: ut criminationis spe-  
cie invaderent eorum bona; veluti Verres fe-  
cit, teste Cicerone lib. 2. Accus. Vide hic l. 6.  
§. 2. D. de offic. praes. & Hotomanni Notas.  
Hanc calumniam etiam à Quinto remotam  
esse ait.

*Sumtus & tributa civitatum ab omnibus  
tolerari aequabiliter.*] Sumtus necessarii ac u-  
tiles & tributa civitatum à provinciali-  
bus aequabiliter tolerantur, quum debita por-  
tione à singulis pro modo facultatum exi-  
guntur: quum calumnia, avaritia & expila-  
tio magistratus atq; improborum exactorum  
abest: Quum militum praesidiariorum vis, ve-  
xatio & insolentia cohibentur ac reprimun-  
tur. Tacitus de Tiberio Annal. 4, 6. 8. *Na-  
provincia novis oneribus turbarentur, utque ve-  
tem sine avaritia, aut crudelitate magistratum  
tolerarent, providebat; corporum verbera, adem-  
ptiones bonorum aberant.* Ulpianus in l. 33. D.

*de usur.* monet præsidem provinciæ, ne *atrum* se exactorem, nec contumeliosum præbeat, sed moderatum & cum efficaciâ benignitatis & cum instantiâ humanitatis: Sic se prospicientium securitati reipub. In l. 6. §. 3. D. Offic. præf. monetur præses provinciæ prohibere fieri illicitas exactiones, sub specie tributorum.

*Facillimos aditus esse ad te, patere aures tuas querelis omnium, nullius inopiam ac solitudinem exclusam.*] Idem de se, quum regeret provinciam, M. Tullius prædicat ad Atticum ep. 2. lib. 6. *Aditus ad me minimè provinciales, nihil per cubicularium.* Suetonius in Augusto cap. LIII. laudat Principem quod tanta comitate adeuntium desideria exceperit, ut quendam joco corripuerit, quod sic sibi libellum porrigere dubitaret, quasi elephantostipem. Ulpianus in l. 9. D. de offic. procons. vult omnium desideria, etiam mediocrium audiri. Quin Deus ipse præcepit Deut. c. 17. *equè parvum, atque magnum audire.* Secus atque nonnulli solent, qui vel ambitiosi & arrogantes, clientibus difficiles se præbent, eorumque desideria ac vota longâ morâ, absque necessitate, majoris auctoritatis specie, detinent; vel avari, si clientes in re tenui sint, nec habeant quod largiantur, omnino frustrantur eos & à se rejiciunt non auditos. Quod Deus impune non abire finit.

*Iniquo & gravi vectigali aditiorum, magnis nostris simultatibus Asiam liberasti.]* Ædili-  
um, præter alia, munus erat, ut curarent lu-  
dos solennes. Vid. Lips. de Magistratu R. c.  
XIII. Sumtus horum ludorum olim facie-  
bant, ex frumentariorum, qui annonam dolo  
malo auxissent, & sceneratorum publicè  
damnatorum ære multatitio; ut observat  
Gulielmus de Magistr. Rom. cap. XI. Jam  
verò cœperant Ædiles sociis quoque ac pro-  
vincialibus hos sumtus vectigali additos, ad  
ludos Romæ peragendos imperare; uti Ma-  
nutius & Hotomannus hic notant. Eo vecti-  
gali & sumtibus Quintus provincias, etiam-  
si non absque simultatibus, liberarat, & ad  
priorem modum revocarat. De ludis verò  
publicis in repub. plura in cap. IX. Reipub.  
Apum.

*HS. CC. sibi eripuisse.]* Summam quingen-  
torum millium, aut dimidium millionem ut  
putant.

*Quod cum ad templum monumentumque  
nostrum civitates pecunias decrevissent.]* Sole-  
bant rectoribus provinciarum, bene meritis,  
templa & monumenta, honoris causa olim,  
etiam lege permittente, poni, præsertim ab  
Asiaticis, Syris & Græcis. Inspice Casau-  
bonum in Suetonii Augustum cap. LII. ut ta-  
men virtutibus illorum, non ipsis consecra-  
rentur, ut inf. Cicero scribit.

*Tamen id in quo erat dignitas, erat lex, erat eorum qui faciebant, voluntas, accipiendum non putavi.]* Confer Cicor. Verr. 4. ad Attic. 6. 5. 21. ubi sic loquitur: *Ob hac beneficia, quibus illi obstupescunt, nullos honores mihi, nisi verborum, decerni sino; statuas, sana prohibeo.* Per honores verborum intelligit laudes suas; quas rectorem provinciæ non gravatè audire debere, docet Ulpianus in l. 7. D. de offic. procons. *quum honori suo provinciales id vindicent;* licet iste honor præcipue rectori provinciæ habeatur. Confer quoque Figteliium de statutis cap. XXXIII. pag. 281.

*Tum aliis de causis, tum etiam ut æquiore animo ferrent ii, quibus nec deberetur nec liceret.]* Cur M. Tullius honores templi & monumenti sibi decretos recusarit, adfert his causas, partim ut sic invidiam declinaret, partim ut alii, illis indigni, minus avidè desiderarent. Si enim magni ac dignissimi viri non quosvis honores admittant, sed quosdam, præsertim altiores, abnuant, & malint mere-ri, quam habere, non solum hoc laudi modestiæ eorum tribuitur; sed etiam minus dignos illis æquiori animo carere efficit.

*Quapropter incumbere &c. ut esse quam beatissimos velis.]* Subjungit hic adhortationem ad fratrem, ut omni ratione studeat sic tueri provinciales, ut quam beatissimos esse velit. Ita sup. *Huc omnia esse referenda ab iis qui*

*qui presunt aliis, ut qui in eorum imperio erunt; sunt quam beatissimi.* Notum illud Ciceronis ex quinto de Repub. quod repetit ad Atticum lib. VIII, ep. XI. *Ut Gubernatori cursus secundus, medico salus, imperatori victoria; sic moderatori reipub. beata civium vita proposita est.*

*Tamen esset humanitatis tua consulere eorum commodis, & utilitati salutique servire. Cum vero ei generi hominum presimas } Homines etiam barbaros (quales tempore Ciceronis Afri, Hispani & Galli habebantur) humaniter tractandos esse monet ob naturæ inter illos cognationem, licet moribus ab illis diffideant; &, qui illis præest, eorum saluti consulere tenetur. Imo, ut sup. Tullius in hac ep. ait: Est non modò ejus, qui sociis & civibus, sed etiam ejus, qui servis, qui mutis pecudibus præest, eorum quibus præsit commodis utilitatique servire. Quanto magis humaniores vel quibus humanitatis studia debemus (velut Romani Græcis) merita fideque mutuis officiis nobis devincire; fas est. Plinius lib. VIII, ep. 24. Maximum in provinciam Achaiam missum, ad moderatè regendos Græcos, iisdem ferme, quibus Tullius argumentis hortatur Quintum, utitur, & tandem sic claudit: *Vides à medicis, quanquam in adversa valetudine nihil servi ac liberi differant; mollius tamen liberos clementiusque tractari.**

*Plato tum denique fore beatas respublicas*

putavit, si aut docti & sapientes homines ea regere cepissent, aut qui regerent, omne suum studium in doctrina ac sapientia collocassent.] Illud aureum Platonis dictum apud eum exstat in lib. V. de Repub. & epist. VII. ad Dionis propinquos; de quo Tullius suum fert judicium his etiam insignibus verbis: *Hanc conjunctionem potestatis & sapientia saluti censuit civitatibus esse.* Equidem ut potentia absque prudentiâ magis nocet, quam prodest reipub. velut Isocrates in orat. ad Demonicum docet, ita prudentia potentia conjuncta maximo præsidio & saluti est reipub. Ut de aliis regnis ac rebuspub. suâ laude dignis jam non dicam, regnum Chinense vel Sinense satis testatum id facit, vel eo nomine florens: quod docti & sapientes ad præcipua munia provehuntur, & Cæsari ad clavum sedenti à consiliis sunt. Prudentia enim & sapientia est gubernatrix potestatis, ut clavus ingentis etiam navis. Titinius, vetus poëta, apud Nonium Marcellum in v. *Valentia* eleganter:

*Sapientiâ gubernator navem torquet,  
non valentiâ.*

*Multo majorem in his honoribus tuendis diligentiam adhibere debes.]* Quia magis arduum est tueri honores, quam acquirere. Marius apud Sallustium in bello Jugurth. cap. 34. *Scio ego, Quirites, plerosque non iisdem artibus imperium à vobis petere, & postquam adepti sunt*



*sunt, gerere. Primò industrios, supplices, modicos esse; dehinc per ignaviam & superbiam aetatem agere. Sed mihi contra videtur: nam quò univèrsa Respub. pluris est, quàm Consulatus aut Praetura, eo majori curâ illam administrari, quàm hac peti debere.*

*Honores, si vulgares essent, viles; si temporis causa constituerentur, leves: si verò, (id quod ita factum est) meritis tuis tribuerentur, existimabam, multam tibi in iis tuendis operam esse ponendam.] Honores vulgares & promiscui facillè vilescunt, temporis autem vel adulationis causa collati, leves & vani sunt. Qui verò meritis alicujus tribuuntur, dignè æstimandi, & virtutis studio tuendi sunt. Cornelius Nepos in vita Miltiadis: Populi nostri honores quondam fuerunt vari & tenues, ob eamque causam gloriosi; nunc autem effusi atque obsoleti. Ad quem locum plura observavi. Tiberius apud Tacitum A. 4, 37, 5. Vanescet Augusti honor, si promiscuis adulationibus vulgatur. Plinius paneg. Verus honor & fama non statuis & imaginibus, sed virtute ac meritis propagatur. Confer tit. Cod. de Statuis & imag.*

*In quibus tuas virtutes consecratas, & in deorum numero collocatas vides] Provinciales pagani olim rectoribus provinciarum ob bene merita solebant templa, aras, statuas erigere; in quibus non ipsos, sed eorum vir-*

tutes consecrabant : Quod minori invidiæ fore credebant. Vid. Lips. Elector. 1, 14. & Figrelium cap. XXXVIII. de statuis illustr. Roman. ubi hæc Ciceronis verba *in Deorum numero collocatas*, rectè explicat, *statuis, templis, aris consecratas*. Forſan huc facit effigies Quinti, publicâ provincialium, aut fortè privatâ propriâque ejus impensâ sibi facta ; de qua exſtat jocus fratris ſui apud Macrobi-um lib. II. Saturnal. cap. III. Quum M. Tul-lius in eâ provinciâ, quam Quintus frater re- xerat, vidiffet clypeatam ejus imaginem, in- gentibus lineamentis uſque ad pectus ex mo- re pictam [erat autem ipſe Quintus parvæ ſta- turæ ] dixit : *Frater meus dimidius major eſt, quàm totus*. De imagine in clypeo Figrelius in dicto libro de ſtatuis cap. XXXVI. pag. 300, plura. Imagines Legatorum Batavorum in regni Sinenſis templo idololatrico Paolinxi, ab ejus ſacerdote in gypſo expreſſæ, honoris cauſa erigebantur anno MDC. LVII, ut Joh. Neuhof. in deſcript. iſtius Legationis in di- ctum regnum pag. 215. notat. Præſtat autem virtutes honoratorum hominum & virorum bene meritorum in animis bonorum & poſte- ritatis memoriâ, quæ in ſtatuis & imagini- bus, cum tempore perituris, conſervari.

*Ut te parentem Aſiæ & dici & haberi velis* ]

Atque ſic, ut parens liberorum, ita ſociorum & provincialium commodis ac ſaluti invi- giles.

IN EPIST. CIC. AD QUINTUM FRATREM. 183  
giles. Inde enim *patres* olim tales dicti sunt,  
Floro teste 1, 1. & *patres patriæ*.

*Atque huic tuæ voluntati.*] Hic sequitur  
*tertium caput secundæ cohortationis partis*, in  
quo Tullius adhortatur fratrem ad socios &  
provinciales cum publicanis, publicæ securi-  
tatis causa, conciliandos. Quod quamvis  
maximè arduum futurum sit; tamen pruden-  
ti Quinti imperio fieri posse credit, atque dif-  
ficultatibus certa remedia præscribit.

*Publicanis si adversamur, ordinem de nobis  
optime meritum, & per nos cum repub. conjun-  
ctum, à nobis & Repub. disjungemus; Sin au-  
tem omnibus in rebus obsequimur, funditus eos  
perire patiemur, quorum non modo salutem, sed  
etiam commodis consulere debemus. Hæc est una  
in toto imperio tuo difficultas.*] Conferri cum  
his possunt, rei illustrandæ causa, quæ Tulli-  
us in orat. de provinc. consul. habet, in pri-  
mis ubi de vi & injuria Gabinii in publica-  
nos agit. Ostendit autem hîc, quod Respub.  
carere publicanis non facillè possit, præser-  
tim quoties in angustiis ærarii, præsentem pe-  
cuniâ eget; quam illi in usus reipub. pro bo-  
nis publicis redemptis expendunt. Idèò à se  
facile disjuncturum, si quis illis adversetur. Si  
verò in omnibus iisdem obsequatur, eorum-  
que avaritiæ & expilationi indulgeat, ludetur  
de corio & salute sociorum ac provincialium.  
Quos per verba *funditus eos perire patiemur*

&c. intelligit, ut postea pluribus declarat. Hic rectâ viâ incedere difficile esse; Sed quomodo huic difficultati medendum sit, postea docet.

*Nam esse abstinentem &c.]* Dictam difficultatē exaggerat comparatione aliorum factorum laudabilium quidem (de quibus antea actum est) sed minus difficilium.

*Illâ causâ publicanorum quantam acerbitatem afferat sociis, intelleximus ex civibus, qui nuper in portoriis Italia tollendis, non tam de portorio, quam de nonnullis injuriis portitorum querebantur.]* Confer Ciceronem ad Atticum lib. II. ep. XVI. Ubi eorum quoque mentionem facit. Hic autem ostendit, difficultatem de causâ publicanorum non tam vectigalia & portoria ex usu & necessitate reipub. rite imposita, quàm querelas subditorum de vi, injuriis & avaritiâ exactorum augere. Quod hodiernis quoque moribus sæpe experimur.

*In ultimis terris] i. e. in remotissimis terris,* de quâ voce plura ad Curtium. Si verò injuriæ & defraudationes exactorum versentur in propioribus provinciis, & fermè conspectu supremæ potestatis, quantò magis in remotioribus locis.

*Publicis.]* Publica hinc sunt *τὴ δημοσία*, ut Græci vocant, aut *vectigalia*; quæ publica dicuntur, quod vel populi sint, vel ex publicis

IN EPIST. CIC. AD QUINTUM FRATREM. 185  
cis bonis conductis colligantur. Horatius  
lib. I. epist. I.

*Parti hominum gessit conducere publica.*  
Hinc etiam publicani dicti sunt, qui ea con-  
ducta vel redempta habebant. *Vid. l. 12. §. 3. D.*  
*de publican. & Gronov. Observ. 4, 23.* hodie  
*Arendatores* dicuntur; de qua voce alibi.

*Male redemptis.*] Nimiâ mercede vel ni-  
mis gravi pensione annuâ redemptis aut con-  
ductis. Sic enim auctores usurpant. Plinius  
nat. Hist. lib. XVIII. c. I. *Quod male emtum est,*  
*semper paenitet.* Et alter Plinius Ep. 1, 24. *Mala*  
*emptio semper ingrata est, & maximè: quod do-*  
*mino videtur exprobrare stultitiam.* Sic adhuc  
usitato proverbio dicere solemus: *Quum stulti*  
*(nimio pretio ementes) veniunt ad nundinas,*  
*mercatores accipere pecuniam.* Ut autem *mala*  
*emere* est nimio pretio emere; ita contra *bene*  
*emere*, est vili aut æquo pretio emere. Sic co-  
muni Plautus *Perfâ* 4, 4. Cicero ad Attic. 12, 24.  
& alii. Confer Cuiac. observ. 23, 32.

*Hic ita te versari, ut publicanis satisfacias,*  
*& socios perire non sinas, divina cujusdam vir-*  
*tutis esse videtur, id est tue.*] Parem in modum  
Tullius lib. I. Famil. ep. IX. ad Lentulum pro-  
cons. *Tibi tamen sum auctor, ut quibus rebus*  
*possis, eum tibi ordinem [publicanorum] aut*  
*reconcilies aut mitiges. Id etsi difficile est,*  
*tamen mihi videtur prudentia esse tua.*] Pru-  
dentia in hoc versari videtur, ut præfectus

provinciae, ex temporum & reipub. usu, ratione consilioque istae moderari sciat. Si enim exactiones publicanorum graviores, ut provincialibus videri queant, in totum prohibere velit, indignè ferent publicani, praesertim si magno conduxerint publica, ideoque intendant augeantque exactiones, his redemptionis pretium componendi studio. Si vero permittat quascunque vexationes sociorum aut colonorum publicanis, plus æquo exigentibus: ita ut hi cum illorum injuriis & ruina crescant; inde facile civium & colonorum querelæ, atque si istis in tempore medicina non fiat, motus ex impatientiâ oboriri queant. Quibus præcavendis & allevandis vectigalium atque exactionum difficultatibus *tria sequentia remedia* præscribit Tullius.

*Ac primum Græcis quod sunt vectigales, non ita acerbum videri debet.] Primum remedium est, ut persuadeatur illis, non tam acerbum esse, quam videatur, ipsos esse vectigales: quum jam antea extra imperium populi Rom. sic adsveti fuerint, & quidem à primis ordinatæ à Solone Reipub. Athen. annis. Vid. Meurs. in Solone cap. XIV. Adsvetum verò tributorum onus, & quod veteris instituti esse docetur, facilius fertur; nisi nimis postea intendatur.*

*Nomen autem publicani aspernari non possunt,*

*possunt, qui pendere ipsi vectigal sine publicano non potuerunt, quod is aequaliter Sulla descripsit.* ] Ne publicanorum nomen illis sit inuisum atque odiosum: quum absque eo pendere vectigal, illis à Sulla victore aequaliter descriptum [ de quo Plutarchus in vitâ Sullæ & Luculli ] non potuerint; non semel monet fratrem, provincialibus commendare usum & dignitatem publicanorum: Ut, si rem ipsam & nomen publicani ferre possint, reliqua illis, prudenti interpretatione Quinti facilio-  
ra eveniant. Quod etiam hodie prudenter fieri solet in redemptoribus publicorum, aut possessionum soli, vel Arendatoribus, incognito & inuiso antea plebi Sueticæ nomine. Sed cum à supremo magistratu ipso, & præfectis provinciarum, & sacrorum administris plebs ex quavis occasione admonita fuisset, honestum eorum munus esse, juri divino & humano non adversum, & verus eorum usus laudatus, abusus damnatus; eorumque securitas auctoritate publica munita esset, subditis autem regiâ constitutione ab eorum injuriis & illicitis exactionibus satis cautum fuisset, omnes adquieverunt.

*Caunii nuper ex omnibus insulis, qua erant ab Sylla Rhodis atteribus, confugerunt ad Senatum, nobis ut porius vectigal, quam Rhodis penderent.* ] Caunii in Caria, Asiae minoris regione, Rhodo vicinâ, habitabant. Caria au-

188 JOH. LOCCENII COMMENTARIUS  
tem donati erant à Romanis Rhodii, ob navatam illis operam in bello maritimo contra Antiochum Magnum, Syriæ Regem. *Vid. Ubbonis Emmii descript. Respub. Rhodiorum p. m. 186.* Sed Rhodii, secundâ fortunâ feroci-ores facti, cæperunt Caunos duriore imperio & gravioribus tributis premere. Unde ex impatientiâ istorum onerum ad Romanos confugerunt: Ut sub potenti eorum imperio tutius degerent, & mallent Romanis, quàm Rhodiis æquum tributum pendere. Hoc autem exemplo testatum facere conatur autor, non fuisse leniores in exigendis vectigalibus Græcos, quàm publicanos Romanorum. Ideo eos publicani nomen averfari non posse, qui semper vectigales fuerint.

*Simul & illud Asia cogites, nullam à se neque belli externi neque discordiarum domesticarum calamitatem absfuturam fuisse, si hoc imperio non teneretur*] Tale est pervasionis argumentum: Asia & Græcis in Asia degentibus sub potenti imperio, quale Romanorum erat, meliorem fore securitatem & tutelam, quàm alibi: quum Romanorum opibus à vi externâ & internâ certius ac fidelius defendantur; eoque vectigalia illis tolerabiliora fore. Quod argumentum in sequentibus ulterius exsequitur, pluribus rationum ponderibus additis.

*Id autem imperium quum retineri sine ve-*

*ctigali-*



*Uigilibus nullo modo possit.*] Inter dicta rationum momenta, etiam hoc est, quod nullum imperium, ut cunque potens, absque vectigalibus, quibus sustinetur, stare potest; ut nullum corpus absque alimentis vivere. Notum est illud Taciti Annal. 13, 56, 2. *Dissolutionem imperii fore, si fructus, quibus Respub. sustinerentur, deminuerentur.* Item verba ejusdem Hist. 4, 24. 2. *Neque quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tribus haberi queunt.* Confer quoque Lipsium Politic. 4, 11, 36.

*Æquo animo parte aliqua fructuum pacem sibi sempiternam atque otium redimat.*] Claudit dictum persuasionis argumentum, etiam hac ratione subjecta: Quod, cum tutelâ pacis sempiternæ atque otii sub imperio Rom. fruantur, æquo animo parte suorum fructuum & facultatum hoc beneficium redimere velint. Dignum est Novellæ CLXI. cap. II. quod cum his conferatur.

*Possunt in pactioibus faciendis non legem spectare Censoriam, sed potius commoditatem consuevendi negotii & liberationem molestiæ.*] Lex Censoria erat pactum & conditio, qua Censor (nam hoc quoque ad ejus munus pertinebat) vectigalia aut bona publica pro certâ mercede & pensione annuâ locabat publicanis, certâ etiam formula instar legis conceptâ, populo & conductori servandâ

Vid.

Vid. Cic. Verr. 3. 5. 7. l. 203. D. de verbor. signific. & ibi interpretes. Item Briffon. lib. V. de Formul. Vult autem Tullius, etiamsi subditi possint & velint in pactionibus cum ipsis & publicano faciendis, non adeò attendere & spectare vim legis Censoriæ, sed suam potius utilitatem, commoditatem & liberationem ab onere tributorum publicanis pendendorum; tamen Quantum oportere tueri auctoritatem legis Censoriæ & usum publicum cum utilitate eorum conjunctum. Confer Clapmarium lib. VI. de Arcan. Rerumpub. cap. ult. ubi hunc Ciceronis locum quoque laudat. Expedi verò maximè Reipub. quod etiam *Secundi remedii* loco esse potest, ut publica & vectigalia redemptoribus eorum vel arendatoribus *certaina lege, & constituto vel pacto* [*ἁπλοῦς γυμένον* Lucas c. 3. v. 13. vocat] nec tamen pro nimia mercede & pensione annua locentur: ne inde publicani vel arendatores occasionem excusandi graviores exactiones, vel prætextum quendam nimii oneris in locando, cui fructus non respondent, capiant. Julius Cæsar publicanos, remissionem petentes, tertia mercedis parte relevavit, ac ne in locatione novorum vectigalium immoderatus licitarentur, propalam monuit, apud Suetonium in Julio Cæs. cap. XX. Ubi vide Notas Casauboni, & Cuiac. Obs. lib. XXVI. cap. XXIX. Sed & publicanorum

canorum & arendatorum pravæ artes reprimendæ sunt: ne plus quàm debent, per se vel suos exactores extorqueant. Tacitus A. 13, 50, 4. *Temperandas planè publicanorum cupidines, ne per tot annos sine querelâ toleratâ novis acerbitatibus ad invidiam verterent.* Ad quæ verba Forstnerus in Notis Politic. cautiones, frærandis temperandisque publicanorum fraudibus aptas, fusius observavit. Gustavus Magnus Rex Suetiæ anno MDCXXII. Constitutionem publicavit: in quâ quid, quantum & quomodo arendatoribus sit exigendum, civibus & colonis præstandum, sub certa pœnâ præscripsit. Istæc Constitutio ut strictè observetur, sedulâ fidâque administratione non solum Arendatorum, sed etiam præfectorum provinciæ, & post eos, inspectorum curâ annuaque rationum redditione opus est: Quibus, quantum fieri potest, & publicanorum, & exactorum ministrotumque defraudationes præcaveantur. Id quod magistratus non negligit. Atque hoc modo Arendatorum institutum publico ac dominis rerum utilius, & colonis magis ferendum esse videmus; quàm prætorum (nisi justis & continentibus sint, quod rarum) fraudibus, expilationibus, avaritiæ, & vexationibus semper obnoxios esse.

*Quanta sit in publicanis dignitas, quantum nos illi ordini debeamus.] Publicani Romanorum*

manorum etiam ex ordine equestri erant : unde *amplissimos homines* Cicero ad Famil. lib. 13. ep. 65. vocat ; & Romana Respub. illis multum in præsentis æris copia & necessitatis publicæ sublevatione indigebat ut sup. dictum est. Unde Cicero eos in orat. pro lege Manil. *firmamentum cæterorum ordinum* prædicat. Sed abusu officii sui, dolis, injuriis, & rapinis se populo invisos faciebant. De qua re alibi plura.

*Ut, remoto imperio ac vi potestatis & fascium, publicanos cum Gracis gratia & auctoritate conjungas.*] Est hoc tertium difficultatis remedium aut fomentum : Ut remotâ aliquantum vi imperii ac potestatis, publicanos cum sociis ac civibus, gratiâ & auctoritate præfectus provinciæ conjungat ; gratiâ, de severitate & rigore imperii aliquid remittendo ; auctoritate, nihil tamen dissolutè ac remissè agendo ; & à provincialibus desiderando, ne se hîc difficiles præbere velint ; quod reverentiæ ac meritis rectoris provinciæ non possint denegare. Quomodo hîc M. Tullius se olim gesserit, vide in ep. I. II. ad Attic. lib. VI.

*Difficile est, ea qua commodis, utilitate & prope natura diversa sunt, voluntate conjungere.*] Quæ hætenus tam humaniter monuit Cicero Quintum fratrem, præsertim de conjungendis publicanorum, & provincialium animis,

IN EPIST. CIC. AD QUINTUM FRATREM. 193  
difficilia quidem factu fore ostendit, addita  
ratione: quod ea quæ commodis, utilitate &  
prope naturâ adversa sunt, voluntate con-  
jungere arduum sit. Idem est quod Horatius  
lib. I. sat. I. dixit:

*Pergis pugnantiâ secum*

*Frontibus adversis componere.*

E. c. Quidam publicani avari, & rapaces  
exactores vicem luporum, deglubere oves  
conantium; provinciales autem, socii &  
coloni ovium, lanam & præcipuè pellem re-  
tinere cupientium vicem sustinebant; quales  
non faciliè poterant componi. Res tamen  
disparès aliquando iudicio ac prudentia  
conjungi ac conciliari possunt, si de extre-  
mis quid utrimque remittatur, & mediâ viâ  
initâ, aptè temperentur & coëant, quæ sibi  
adversa aut diversa sunt; ut sup. in remediis  
difficultatum ac fomentis ostensum est. Li-  
cet autem nonnulli pro arcano imperii habe-  
ant, dissentire inter se provincias: ne contra  
principem conspirent; quid tamen de eo  
sentiendum sit, notavi in Animadversionibus  
meis ad Lipsii lib. VI. Politic. cap. III.

*Ac ea quidem quæ supra scripta sunt*] Præ-  
missâ excusatione liberæ, fraternæ tamen ad-  
hortationis, & longioris epistolæ, adfert  
*quartum cohortationis caput*, in quo fratrem  
ab iracundia & acerbitate animi revocatum  
it ad mansuetudinem, lenitatem & moderati-

N

onem

onem animi : quibus virtutibus omni quidem homini, præcipuè in munere publico & præfecturâ provinciæ versanti opus est, ut in sequentibus verbis docet, & quidem egregiis rationibus, quæ hîc vitanda, quæ facienda sunt.

*Cum exceptione laudari*] cum exceptione *iracundie*, ut paulo inf. ait ; & quidem ex ore provincialium, ita Quintum laudantium: *Quintus est vir egregius, nisi tam iracundus esset.* Vide quoque Cic. lib. I. ep. 2. ad Quintum fratrem. Sed cujus vita sine omni exceptione est? modò emendationi vitæ studeamus.

*Levis esse animi atque infirmi videtur.*] Cicero videtur hic respexisse ad illud Terentii in Hecyra: *Pueri inter se quàm pro levibus noxiis iram gerunt. Quapropter? quia enim, qui eos gubernat animus infirmum gerunt.* Is verò à viro gravi alienus esse debet.

*Nihil tam deforme est, quàm ad summum imperium etiam naturæ acerbicatem adjungere*] Hanc insignem sententiam in suam transtulit historia Ammianus Marcellinus lib. XXIX. *Nihil tam iniquum, ait, quàm ad ardua imperii supercilia etiam acerbicatem naturæ adjungi.* Similia his habet Seneca lib. I. de Clementiâ cap. V. & lib. I. de Ira cap. XVI.

*Epistola proprium, ut is ad quem scribitur de iis rebus, quas ignorat, certior fiat.*] Idem Cicero

IN EP. CIC. AD QUINTUM FRATREM. 195  
cero Famil. ep. II. IV. & Lipsius Epistolic.  
Institut. cap. II. in fine.

*Sed cum te alicujus improbitas perversitas-  
que commoverit, sic te animo incitari, ut ab om-  
nibus tua desideretur humanitas.* ] Magistra-  
tum quidem & gubernatorem provinciæ, ci-  
vium provincialium delictis irasci oportet;  
ita tamen, ut animus non exeat potestate sua,  
nec obliviscatur humanitatis. Huc etiam illud  
Juvenalis sat. III. facit:

*Expectata diu tandem provincia cum te,*

*Rectorem accipiet, pone ira frena modumque.*

Si enim ira non frenetur, sed immodica  
sit, facile in delictis puniendis etiam modum  
excedere potest. In quam rem noti sunt Ho-  
ratii versus & aliorum authorum dicta. Con-  
fer etiam sup. ad secundæ partis adhortationis  
primum caput de *moderanda acerbitate in sup-  
pliciis* notata. Quum autem Cicero sciret,  
fratrem ad acerbitatem animi & iracundiam  
esse procliviorum, hinc iterare & diligentius ab  
ea dehortari illum voluit. Confer quoque  
*l. 16. D. de offic. pras.* & ad eam Notas Grotii in  
Florum sparsione ad Jus Justinian.

*Caveamus ne quod in nobis insigne vitium  
fuisse dicatur* ] Non solum malæ famæ &  
sermonis hominum, ut Cicero monet,  
sed etiam mali exempli præcavendi causa, ca-  
vebunt magistratus, & alii qui munus pub.  
gerunt, quantum possunt, ne quod in illis in-

signe vitium sit. Ut enim macula in candida & splendidâ veste conspectior est, quàm nigra & vili; ita vitium majoris, quàm plebejæ, personæ magis notatur, & exemplo nocentius est. Unde Agésilæus Rex Lacedæmoniorum rectè judicabat, privatotum errata sæpe latere; vel, si manifesta sint, ab his minus malum proficisci, sed principum & illustrium personarum vitia, præsertim insigniora, majoris momenti esse, & magna sæpe mala subditis ob pravam imitationem ac propagationem dare. Hinc Cicero lib. III. de legibus: *Senatorius ordo vitio vacato; cæteris specimen esto.*

*In nostra ætate difficile est mutare animum, & si quid penitus insitum est moribus, evellere* ] Ut lana colorem, quo semel imbuta est, non facile mutat; Sic insita moribus & adulta, in virili & senili ætate difficile est exuere. Confer proverbium: *Annosam arborem transplantare difficile est.*

*Si hoc planè vitare non potes, quod ante occupatur animus ab iracundiâ, quàm providere ratio potuit, ne occuparetur; te ante compares, quotidieque meditare, resistendum esse iracundiæ* ] In his & sequentibus verbis docet author, quomodo ira à proclivibus ad eam cohibenda sit & refrenanda. Velut hostis non expectatus securos citius opprimere, quàm præcaveri potest; nisi à vigilantibus & in li-  
mite



IN EP. CIC. AD QUINTUM FRATREM. 197  
mite provinciæ ei occurratur; Sic ira, nisi in  
principio ei resistatur. Salutare est Senecæ  
monitum lib. I. de ira cap. VIII. *In primis  
finibus hostis ille arcendus est: nam cum intra-  
vit & portis se intulit, modum à captivis non  
accipit.* Et lib. III. de Irâ cap. XII. *Pugna te-  
cum ipse. Si iram vincere non potes, illa te inci-  
pit vincere.*

*Cumque ea maximè animum moveat, tum  
tibi diligentissimè esse linguam continendam]*  
Ad iram compescendam facit etiam, conti-  
nere linguam, quum ira in verborum male-  
dictorumque amaritudinem magis effunda-  
tur, uti Seneca lib. I. de Ira cap. IV. docet. I-  
dem cap. IV. de tranq. an. *Quidam non habent  
iram in potestate: & illos ad temeraria verba  
qualibet indignatio effert. Quod est, perbis exit  
in iram,* ut Cato in Distich. ait. Ut enim mare  
placidum ventis, & hinc fluctibus attollitur &  
assurgit; ita animus iratus verbis: quibus  
exarmatus, facilius conquiescit. Imò *mode-  
rari & animo & orationi, cum sis iratus; aut eti-  
am tacere, & tenere in sua potestate motum a-  
nimi & dolorem, etsi non perfecta est sapientis,  
tamen est non mediocris ingenii,* ut d. loco ad-  
dit Cicero. Exemplo sit Socrates, magni  
vir ingenii, qui Xantippem suam, bile ef-  
fervescentem & fulminantem; iramque pro-  
prium tacendo & patièdo maximè vincere  
potuit,

*Illud non solum est gravitatis, sed nonnunquam etiam lentitudinis* ] Omnino non irasci, quibus & quando publici private muneris causa rite decet, lentitudinis esse ait, ut vulgo dicitur. Ita Tullius lib IV. Tusc. Quæst. *Virum videri negant, qui irasci nequeat, eamque, quam lenitatem nos dicimus, vitioso lentitudinis nomine appellant.* Est nimirum ea, quam αοργησία Græci vocant. Vid. Gell. lib. I. Noct. Attic. c. ult. & Buchner. in Epistolas Plinii pag. 200. 209:

*Si implacabiles iracundia sunt, summa est acerbitas, si exorabiles, summa levitas.* ] Implacabilem esse, est signum animi valde acerbi & vindictæ cupidi. Contra placabilem esse, signum generosi animi habetur, secundum notos Poetæ versus:

*Quò quisque est major, magis est placabilis ira,*

*Et faciles motus mens generosa capit.*

Sed exorabilem esse iracundiam, author pro argumento levis animi habet: qui facile ad iram profiliat, & facile exoretur ac placetur. Hoc est, quod Cicero etiam de Quinto fratre ad Atticum I, 14. scribit: *Mollis ejus animus & ad accipiendam & deponendam offensionem.* Exorari tamen præstat, quam acerbum & implacabilem esse, ut ipse hic sentit.

*Quod & consuetudo & ratio & mea litera te patientiorem lenioremque fecerunt.* ] Tria sunt,

IN EPIST. CIC. AD QUINTUM FRATREM. 199  
sunt, quæ vitia naturæ si non profus tollere,  
tamen corrigere possunt, consuetudo, ratio &  
recta informatio. Nero ad Senecam apud  
Tacitum XIV. Annal. *Ratione, consilio, præ-*  
*ceptis juventam meam fovisti.*

*Ac jam hoc loco.]* Tullius epistolam clau-  
dit obsecratione ad Quintum directâ, de lau-  
dis materiâ undique colligendâ, reprehensio-  
nis causa vitanda, & ultimo administratio-  
nis provinciæ anno feliciter; finiendo.

*In omnium laude undique colligenda.]* Tam  
Principis vel Senatus, quam civium laude,  
tam domi, quàm foris. Plinius in Paneg. *U-*  
*tile est & salutare presidibus provinciarum,*  
*banc habere fiduciam, paratum esse sanctitati &*  
*industriæ suæ maximum premium, judicium*  
*Principis.* Cui si accedat laus bonorum viro-  
rum, qui ipsi in laude vixerunt, jucundus est  
laborum fructus, & non leve solatium.

*Omnes boni cum faveant &c. omnes im-*  
*probi vel minima re ad reprehendendum conten-*  
*ti.]* Boni bonis ob æqualitatem virtutis fa-  
vent; mali, quum bonos ob dissimilitudi-  
nem morum oderint, vel minimâ re ad repre-  
hendendum eos contenti sunt. Quamvis au-  
tem, si boni nobis faveant, improborum ca-  
lumniæ spernendæ sint; uti Cicero in Ora-  
tore dicebat: *Cum à Catone nostro laudabar,*  
*vel reprehendi me à ceteris facile patiebar; ni-*  
*hil tamen eorum, quæ ad munus nostrum*

200 JOH. LOCCENII COMMENTARIUS  
pertinent, negligenter est agendum : ne, si  
quid in minutis neglectum sit, in cæteris quo-  
que calumniandi animam malevolis præbeat ;  
ut M. Antonius Imp. prudenter monebat.

*Quoniam ejusmodi theatrum est totius A-  
siae.] Ratio allegoriæ facilè patet. Quæ in pu-  
blico theatro aguntur, in omnium spectato-  
rum oculis & auribus versantur ; ita quæ in  
celebri provinciâ, qualis Asiæ erat. Idem est,  
quod superius dixit : *Istam tuam virtutem non  
latere in tenebris, sed in luce Asiæ, in oculis claris-  
sime provinciæ, atque in auribus omnium gen-  
tium esse positam.**

*Natura ita resonans, ut usque Romam si-  
gnificationes vocesque referantur.]* Continuat  
allegoriâ de actu publico in theatro, cui so-  
nitu & vocibus populi applaudi solet. Eâ-  
dem allegoriâ usus est lib. II. Tusc. Quæst.

*Nos non de reliquâ & speratâ gloriâ tam  
laborare, quàm de partâ dimicare.]* Sic noster  
lib. 2. Fam. ep. II. *Videmur eam famam conse-  
cuti, ut non tam accessio querenda, quam fortuna  
metuenda sit.*

*Quamquam illorum erit verius judicium,  
obtrectatione & malevolentia liberatum.]* Po-  
sterorum erit incorruptius judicium, obtre-  
ctationis & invidiæ causis remotis. Seneca de  
benefic. 7, 8. *In laudem vetustorum invidia  
non obstat. Sed*

*detrectat presentia liver,*

ut

ut Ovidius Trist. 4, 10. loquitur.

*Sed ea tibi est communicanda mecum, pro-  
denda liberis nostris*] Gloria & fama, dedecus  
& infamia alicui quæsitæ ad totam pertinet fa-  
miliam; ad auctorem tamen præcipuè. Con-  
fer Plautum Bacchid. 3, 1.

*Ut currentem incitasse videatur.*] Cur-  
rentem incitare, est adhortari sponte suâ in-  
dustriam: ut in eo magis confirmetur. Cic.  
2. de Orat. *Facilius est currentem ut ajunt, inci-  
tare, quam commovere languentem.* Idem V.  
de Finib. *Te hortamur omnes currentem, qui-  
dem, ut spero* Confer Ovid. lib. V. Trist. eleg.  
ult. & Erasmi Adag. *currentem incitare.*

*Facies enim perpetuo qua fecisti.*] Strenui  
laudem laude continuare student. Nisi enim  
laus nova oriatur, etiam vetus amittitur, ut  
Publius dicebat. Continuat autem virtu-  
tis continuatione. Confer Cic. ad Attic. 2, 3.

*Cum jam tibi Asia, sicut uni cuique sua do-  
mus, nota esse debeat*] Gubernatoribus pro-  
vinciæ tam ea nota & perspecta erit, quam  
sua domus: ut eò rectius eam administrant;  
imò paterno civiliq; imperio regant. Tul-  
lius lib. VI. ad Attic. ep. I. de se: *Nunc domus  
mehercule nulla tanto consilio tantaque disci-  
plina gubernatur, aut tam modesta est quàm no-  
stra tota provincia.*

*Cum ad te scribo, tecum loqui videor*] Per  
litteras cum absente loquimur. Unde etiam

202 JOH. LOCCENII COMMENTARIUS  
epistolæ tales erunt, qualis est sermo noster  
cum præsentē; quæ nihil habeant accersitum,  
nec fictum. Seneca ep. LXXV. inspiciatur.

*Ut hic tertius annus imperii tui tanquam  
tertius actus perfectissimus atque ornatissimus  
fuisse videatur* ] Velut boni poëtæ & actores  
operam dant, ut omnes actus cum laude im-  
pleant, imprimis extremum; ita viri in di-  
gnitate versantes, ut omnes officii partes be-  
ne peragant; nec, ut ignavi, quum à fine  
laborum & actionum prope absunt, deficient  
& torpescant. Salomon eâ mente Ecclesiast.  
7, 8. *Melior est finis rei principio ejus.* Ovid. me-  
tamorph. 6, 2.

*Operis victoria finis.*

*Omni- bus iis rebus, quas dices ac facies, me  
interesse* ] Si propinquorum aut aliorum vi-  
rorum, qui in virtute vixerunt, exempla no-  
bis ob oculos, quasi nostris actionibus inter-  
essent, ponamus, non parum nos ad imitati-  
onem ipsorum commovebunt, & à vitiis ab-  
sterrebunt. Pulchrè Seneca epist. XI. *Aliquis  
vir bonus nobis eligendus est ac semper ante ocu-  
los habendus: ut sic, tanquam illo spectante, vi-  
vamus, & omnia, tanquam illo vidente facia-  
mus. Magna pars peccatorum tollitur, si pecca-  
turis testis adsistat. Aliquem habeat animus,  
quem vereatur, cujus auctoritate etiam secre-  
tum suum sanctius faciat. Elige eum, cujus  
tibi placuit & vita & oratio, & ipsius animum*  
*ante*

IN EPIST. CIC. AD QUINTUM FRATREM. 203  
*ante te ferens & vultus, illum semper tibi ostende vel custodem vel exemplum.* Plinius lib. VIII. ep. 18. *Ad vitæ rationem exemplis erudimur.* Sic Horatium erudiebat pater ejus, ut ipse testatur lib. I. Satyr. IV.

*Insuevit pater optimus hoc me,*

*Ut fugerem, exemplo vitiorum quæq; notando.*

Et mox: *Sive jubebat*

*Ut facerem quid: habes auctorem, quo facias hoc,*

*Unum ex judicibus selectis objiciebat.*

*Sive vetabat, an hoc inhonestum & inutile factu*

*Necne sit, addubites: flagret rumore malo cum*

*Hic atque ille.*

In primis ipsius Dei præsentia nos ad rîè honestèque vivendum movebit: qui non solum nostras actiones videt & audit, sed ipsis quoque cogitationibus intervenit, ut arbiter & judex.

JOHAN-

JOHANNIS LOCCENII  
REPUBLICA APUM,

Sive

*Collatio succincta regiminis Apum & imperii civilis in quantum utriusque natura & conditio admittit.*

ELOGIA

▲ auctorum de regimine Apum, tanquam Reipub. imagine.

VARRO

*lib. III. de re rustica  
cap. XVI.*

Hæ ut hominum CIVITATES: quod hîc est  
& REX, & IMPERIUM, & SOCIETAS.

VIRGILIUS

*lib. IV. Georgic.*

Admiranda tibi levium spectacula rerum,  
Magnanimosque DUCES, totiusque ordine  
gentis

MORES & studia & POPULOS & PRÆLIA dicam.

PLINIUS

*Naturalis Hist. lib. XI.  
cap. V.*

Inter omnia principatus APIBUS, & jure  
præcipua admiratio, REMPUB. habent,  
CONSILIA privatim ac DUCES gregatim,  
& quod maximè mirum sit, MORES ha-  
bent.

HIERO-



## HIERONYMUS

*Epist. V. ad Rusticum monachum :*

APUM fabricare alvearia, ac REGIAM DISCIPLINAM in parvis disce corporibus.

JOHANNES SARISBERIENSIS

*Policr. lib. VI. cap. XXI.*

Scripterunt de REPUB. etsi diverso modo Cicero & Plato ; quum alter , qualis esse debeat, differuit ; alter, qualis fuerit à majoribus instituta. &c. REIPUB. omnes auctores percurre, publicarum rerum pervolve historias, VITA CIVILIS tibi rectius & elegantius nusquam quàm in APIBUS occurret ; essentque procul dubio beatæ Civitates , si hanc sibi VIVENDI præscriberent FORMAM.

## INDEX CAPITUM

*In Libello de Repub. Apum.*

## PROOEMIUM.

Caput I. *Hominem esse animal sociale. De collectione civium intra urbes & cobabitatione. Eam facere ad sacra commodius peragendum, ad quæ sita custodiendum ; ad civilitatem, cultum ac firmamentum imperii.*

Cap. II. *De situ, structura & commoditate loci urbium, adificiorum, platearum & viarum. Quanto ea sit usui & ornamento urbibus. De sede regia. De munditie urbium, ejusque utilitate.*

Cap.

Cap. III. *De ordine imperandi & parendi. Quàm salutaris ille reipub. sit. Rex unicus esto. De modis constituendi regem aut magistratum.*

Cap. IV. *De notis boni malique Regis. Simulatè bonum sed reapse improbum, plus nocere reipub. quàm apertè malum.*

Cap. V. *De boni Regis ac magistratus officio per partes comparationis descripto.*

Cap. VI. *De subditorum & civium officio, obedientia & amore erga Regem. Prasente Rege, quasi cessare & quiescere inferiores potestates. De civium concordia, fide, & ejus fructu.*

Cap. VII. *De distinctis civium & subditorum munitis; industriâ, labore, otii fugâ, & harum rerum utilitate publicâ ac privatâ. Qui sint ignavi reipub. fuci. Ex occasione disquiritur, num utile sit, otiosos statim urbe expelli. Quomodo comprimendi sint. De studio adquirendi. Quod tamen cum modo erit: ne per id cura liberorum rectè educandorum negligatur.*

Cap. VIII. *Non sibi solum privatim, sed etiam publico ex parte acquirendum esse. De tributis civium. Ea pro facultatum & temporum anni modo subditis imponenda esse. Parcimoniâ privatâ & frugalitate sublevari onera publica, & rem familiarem augeri. Aerarium tuto loco habendum esse.*

Cap. IX. *De exercitationibus ac ludicris civium in pace. Inanes, noxios, scurriles & obscenos ludos prohiberi, ad studium honestatis &*

*MORUM*

*morum homines exerceri, atque decoros, tempestivos ac moderatos esse ludos, Reipub. interesse.*

Cap. X. *De belli externi causa, cupidine alieni. De modo gerendi & finiendi belli.*

Cap. XI. *De bello ac motu intestino, ejusque causis: plurimum imperio, validiorum potentia, inæqualitate, paupertate vel divitiis nimis.*

Cap. XII. *De motuum intestinorum remediis. Eos arte, consilio, suadâ, ad extremum ferro, si non aliter queant, à Rege reprimendos esse. Qui plus possunt, vel à suspectis sejungendos, vel, si quieti sint, tractabiles, & virtute præsent, beneficiis imperio, conciliandos esse. Omnes in quiete & fide, quavis honestâ ratione retineri satius esse. In nimia civium abundantia, superfluos & reipub. graves in colonias emittendos; reliquos domi remanentes, si ditiores sint, à luxu & insolentia, per leges sumtuarias, retinendos esse.*

---

## PROOEMIUM.

**R**egendi populos artem multi hæcenus passim & sedulò investigarunt, & omni ævi respublicas, historiasque perlustrarunt: ut præceptis & exemplis alios ad rectam imperii administrationem erudirent. Sed quotus quisque ingressus est Naturæ scholam? simplicissimam illam; quæ Deum solum authorem habet: qui ordinem quendam

dam ductus & obsequii etiam in non nullis animalibus hominum generi præfigurare, præcipuè tamen in *Apibus*, voluit. Proinde mihi cogitatio suborta est ex quadam animi remissione meditandi aliquid de *Repub. Apum*, ad miraculum usque constituta; etiam si cives ejus nulla præcepta, nullam artem didicerint, nisi quam magistra natura illis infudit. Unde Quintilianus: *(a) Cum ingenia, inquit, nostra, quæ nos scilicet ambitiosi nostri aestimatores proxima divinis credimus, ad percipiendas disciplinas multo labore desudant, nulla apibus nisi artifex nascitur.* Omnibus quidem brutis insunt suæ naturæ dotes, præcipuæ tamen eminent in apibus. Quod Plinius dixit, rerum naturam nusquam magis, quàm in minimis totam esse; hoc in apibus recognoscere licet. Atque si tantum est in tam parvo animali, quod omnes seriò contemplantes in admirationem trahit, quàm infinitæ majestatis ac sapientiæ credis esse eum, qui hoc tam artificiosè formavit? Certè quidquid in istis animalculis admiramur, tantò minus erit illis, quæ admiramur ac veneramur in Creatore, quanto major meliorque est Creator omnibus rebus creatis. [Quamvis autem de naturâ apium diversi auctores accuratè scripserint, & non pauci ab apibus imagines & similitudines duxerint, atque ex occasione ad statum civilem accommodarint; ne-

minem

minem tamen adhuc vidi, qui regimen earum cum imperio civili per partes seorsum & ex professo, quoad ejus fieri potest, componeret ac compararet. Quod è re fore mihi persuadebam: ut à primâ creatione Deum ordinem quendam ipsi implantasse naturæ, vel hinc liquidò pateret. Quam intuens homo, quoties apes ex instinctione naturali facere recordatur, quæ instar ordinis, & umbram quandam rationis, ac imperii imaginem referre videntur; toties ille, qui judicio rationis à Deo præditus est, ad ordinata, civilia & honesta paragenda magis excitetur. Nec pudebit nos ab exiguis animalibus discere; quum Deus isthæc nobis tanquam simulacra quædam *morum & vitæ civilis* proposuerit. Veluti Salomon formicas, & Christus ipse volucres sub cælo, tanquam imagines & exempla *vitæ æconomice virtusque* nobis ob oculos posuerant. Christus etiam nos prudentiam serpentum, simplicitatem columbarum in vita communi imitari jubet. Quum verò me certis collationis & comparationis spatiis incluserim, quatenus isthæc modus regiminis apum ac materiæ hujus mihi circumdabat ac figebat, eadem temerè transilire nolui; sed præcipua hujus argumenti membra succinctè tractare, huic nostro instituto sufficere duxi. Reliqua, ad rempub. in universû pertinentia, ex aliis hæc prolixè tradentibus peti possunt.

Cæterum satis præfati videmur. Audiamus jam nostros non ex Academia, Lyceo, aut porticu; sed ex alveari doctores: quorum respublica fuit, antequam ulla alia in terris esset; & tamen omnium rerum publicarum elegans quædam adumbratio esse potest.

(a) *declam XIII.* (b) *lib. XI. natur. hist. c. II.*

## JOHANNIS LOCCENII RESPUBLICA APUM.

Cum Imperio civili comparata.

### CAPUT I.

*Hominem esse animal sociale. De collectione civium intra urbes & cohabitatione. Eam facere ad sacra commodius peragendum, acquisita custodiendum, ad civilitatem, cultum, & firmamentum imperii.*



Pes naturâ sunt animalia socialia. Cicerô I. offic. *Apium examina naturâ sunt congregabilia.* Varro (c) *Apes non sunt solitariâ naturâ.* Sed nisi custos certam illis assignet sedem, in quâ velut in domesticâ officinâ suum faciant opus, passim vagantur, aut in silvas aliòve dilabuntur, nec aptè contineri possunt. Sed  
includæ Con-

*Consortia tella**Urbis habent,*

Ut Maroloquitur.

Hominem imprimis esse animal societatis appetens, non solum ex sententia Aristotelis, (d) sed etiam re ipsa liquet. Divino enim instinctu, naturæ & sanæ rationis ductu homines, ad succurrendum mutua indigentia, ad colenda humanitatis & justitiæ, imperii & obsequii officia, & hoc modo ad societatem rectè tuendam collectos esse, constat. Imò quum Deus dominia rerum lege suâ distinxerit, etiam hominibus voluit esse suas ac proprias habitationes, separatas urbes, possessiones ac ædes, in quibus commodius convenire, veri Dei notitiam & cultum doceri & exercere, mutuaque sibi officia præstare possent. Rectè Poëta :

*Utque alios alii de religione docerent,**Contiguas pietas jussit habere domos.*

Tullius (e) : *Ut apium examina non fingendorum favorum causa congregantur; sed quum congregabilia natura sint, fingunt favos; sic homines, ac multò etiam magis naturâ congregati adhibent agendi congregandique solertiam.* Idem alibi : *Formice, apes, ciconia aliorum etiam causa quadam faciunt; multo magis hac conjunctio est hominis. Itaque natura sumus apti ad cætus, concilia, civitates.* Præterquam, quod adquireta intra urbes & mænia quisque tutius cu-

stodire atque servare potest ; quod Tullius  
 etiam suâ adsertione comprobat : *Ut sua re-*  
*nerentur, res publica civitatesque constituta*  
*sunt, nam etsi duce natura congregabantur ho-*  
*mines, tamen, spe custodiæ rerum suarum, urbi-*  
*um præsidia quærebant.* Quin idè quoque  
 homines intra mœnia coguntur : ne feroces ac  
 indomiti, ut feræ, passim palentur & ex rapto  
 vivant ; Sed sacrorum, juris ac legum com-  
 munionè sociati, pro se quisque suas muneris  
 partes melius obeant, facilius in ordinem re-  
 digantur, ac vitæ humanæ morumque cultui  
 magis studeant. Trojani & Aborigines, o-  
 lim genus hominum agreste, ut refert Sallusti-  
 us, sine legibus, sine imperio, liberum atque  
 solutum ; postquam in una mœnia conve-  
 nere, dispari genere, dissimili lingua, alius  
 alio more viventes, incredibile memoratu est,  
 quam facile coaluerint. Quondam Germa-  
 ni non passi inter se junctas sedes, (f) discre-  
 ti ac diversi habitarunt, ut fons, ut campus,  
 ut nemus placuit, mœnibus cincta oppida,  
 tanquam munimenta servitii averfantes ; at-  
 que inde horror & asperitas morum illis ad-  
 hæsit. Sed ecce, quantò cultiores, ex quo ur-  
 bes exstruxerunt & inhabitarunt. Lycurgus  
 cives suos ita adsuefecit, ut, licet urbes muni-  
 tas non haberent, ipsos pro muro adversus  
 hostem esse volens ; tamen neque vellent, ne-  
 que possent seorsum vivere, sed *apum instar,*  
 ut



ut scribit Plutarchus (g), in cætu eissent. Idem olim Vutcham Tartarorum rex in suis subditis tentavit, ut Aymoinus in historia sua refert. Illi enim in humilibus tuguriis degentes, cum pecore suo, & familia, ex uno loco in alium, meliora pascua quærendi causa, demigrant. In non minimâ verò infelicitatis suæ parte ponunt, fixam habere sedem. Unde, quum offensi à liberis, grave malum illis imprecari volunt, optant, ut eodem in loco semper, velut Christiani, hæreant & proprium fatorem hauriant. Interim feroces, barbari, crudeles, rapinæ & sanguinis avidi sunt. Nisi quotquot orientalium Tartarorum Sinense regnum inhabitant, ex quo eo potiti sunt, Sinensium quoque moribus paulatim advescunt. Sinenses enim, vel, ut alii scribunt, Chinenses, in urbibus habitantes, civiles & comes, agriculturæ, virtutis & sapientiæ studiosi esse feruntur. Lappones hodie, licet in urbibus non degant, sed cum tuguriis suis, ut olim Scythæ, & hodie Tartari, passim oberrent, propter campos longè porrectos, & rhenones suos latè pascentes; tamen ordinantibus Regibus Svetiæ & Daniæ illi Lappones, qui eis subsunt, habent certos suos ac limitatos districtus ac præfecturas; item oppida in finibus exstructa, ibique sacra & anniversarias nundinas, quò statis temporibus conveniant, & magis magisque mansvescunt.

scunt. At magnæ parti Americanorum & aliis Barbaris incertâ sede vagantibus, unde feritas & barbaries magis crescit, quam ex vagâ & instabili vitâ, prædationibus dedita? Adde, quod munitis urbibus juncti, contra vim hostilem firmiores & validiores sunt, & fructui civilium per imperium commodorum percipiendo promptiores ac securiores, quàm præfidiis ac propugnaculis nudati, separati ac diversi: quo fine Cain primus urbem condidisse putatur, & alii ad ipsius deinde exemplum.

(c) *de R. R.* (d) *1. Polit. 1. & 2.* (e) *1. 2. Off. 3. de fin. b. e. m.* (f) *Tac. Germ. & 4. Hist.* (g) *in V. Lyc. (g) Gen. 4, 17.*

## CAPUT II.

*De situ, structura, commoditate loci urbium, edificiorum, platearum & viarum. Quanto ea sit usui & ornamento urbibus. De sede regia, de munditie urbium, ejusque utilitate.*

**S**edes apibus commoda locari solet, certè debet; quæ sit ad exortum solis, non ejusmodi ventis exposita, quibus auferantur pabula domum reportantes; nec oportuna noxiis animalibus, quæ melliflui fundi calamitas sint; sed in loco quieto & innoxio; ubi  
limpi-

limpidi scaturiant fontes, ubi obvia umbrarum & florum copia, atque omnia circumjacentia sint apibus amica; quemadmodum rei rusticæ scriptores fufius docent,

Ita conditori urbium, situs & commoditatis loci ratio habenda est, ut urbes æquali & salubri loco exstruat, magis ad orientem & boream: unde ventus purior & salubrior spirat; quàm ad meridiem & occidentem. Ne sint etiam urbes proximæ paludibus, quæ stando putrescunt, & humores graves & noxios emittunt. Si verò vicinæ sint, curandum est, ut exitus habeant profluentes; aut crebrò retentur ac purgentur. Insuper adsit copia recentium & mundarum aquarum & fluviorum. Si non adsit, cisternis & tubis excipiatur, atque exemplo regis Hiskia (i) in urbem ducatur: ut partim ad valetudinem & quotidianum usum, partim ad necessitatem in hostili obsidione suppetat. Jericho pulcra quidem urbs fuit, sed ob aquæ pravitatem terra istic sterilis erat; donec Elisæus propheta miraculo meliorem redderet. Ob inopiam aquæ dulcis ac potioni aptæ, & copiam aquæ marinæ & salæ in urbe Ravennâ, *sitiisse vivos, natasse sepultos*, scribit Sidonius (k) Lysimachus olim oppidi in Thraciâ siti coactus est deditioem facere. *Hauitâ tandem aquâ, ob quantillâ, inquit, voluptatis inopiam, quanto sumus affecti detrimento.* Ipsos quoque ho-

ites, castra metantes, talem investigare locum scimus, à quo prope absit unda: non solum ad militis, sed jumentorum quoque usum & potum; quod Homerus etiam in Clypeo Achillis adumbravit. Præterea urbes commodum & amœnum terrâ marique ad spectum habeant: terrâ, ut agro, campo & silvâ instructæ: mari, ut navigationi & commerciis aptæ sint. Utrumque si bene munitum, & commo-  
modo portu instructum, concurrat, ad rerum copiam & potentiam haud parum valet. Cæterum quum non omnis ferat omnia tellus, & nova incrementa finitimis suspecta esse soleant, vicinos amicos habere vel facere expedit: ne sint metuendi; & ut mutuus commerciorum usus & promptior & felicior esse possit.

Alvearia apium ita conficiuntur ut angustos habeant aditus. Glutine ex arborum succo, gummi, resina tectoria stipant apes, tam ad aëris injuriam arcendam, quam ad vespas, scarabæos, stelliones, papiliones, aliosque mellis populatores avertendum.

Ita urbis situs ad civiles actiones & negotia accommodus, oppidanis exitu facilis, hostibus aditu difficilis erit. Urbs etiam probè ad hodiernum modum circumvallabitur: ne subito hostium incursum ac tormentorum ictibus per via sit.

Domos & cellas plebejis & sibi primùm  
ex-

extruunt apes, & quidem sexangulas atque inæqualia spatia distinctas; dum hinc inde commeantes, eas sex suis pedibus artificiosè concinnant. Ovidius (l):

*Nonne vides, quos cera tegit sexangula fatus:  
Melliferarum apium?*

Artem & usum earum hoc modo describit Varro (m) *In favo sex angulis cella, totidem, quot habet ipsa pedes. Quod geometra ἐξάγωνον fieri in orbe rotundo ostendunt: ut plurimum loci includatur.* Item Basilus (n) *Disce, quantum obtineat & geometrica inventionis vel ea quæ sunt accessoria [πάρεργα, ut est in Græco] sapientissimæ istius apicula. Favorum enim fistulæ omnes cerâ compactæ, senis angulis aequalibusque lateribus prædita sunt. Non in directum aliæ super alias jacent, ne fundi vacuis interval-  
lis accommodati defatigentur; sed sexangulo-  
rum anguli sedes superiorum & fundamenta sint: ut tutò elevent ac sustineant pondera; & seorsum humor in unum quemque sinum suscipiatur & contineri queat.*

Domus etiam, ad harum exemplum in urbibus, ordine juxta rectas & laxas urbium vias ex arte, concinnæ, spatiosæ & capaces constructæ, magno sunt usui civitatibus, in com-  
meando, vehendo, habitando, & reconden-  
do necessariæ; urbisque faciem pulchram & conspicuam reddunt. Thebas ter dirutas esse accipimus, quod regiones & vici non recto

ordine secti, domos etiam deformabant, atque vias impeditas transituque difficiles & angustas reddebant; ideoque latius & directius instaurandi erant. Quid nostra ætate plerisque Svetiæ urbibus, & istic vicis, regionibus ac ædibus, concinno ordine distinctis, & affabrè exstructis, regio auspicio, bonoque fato contigerit, omnibus notum est: ut quam deformes antea aspectu & irregulares, propter simplicem & confusum exstructionis modum, erant, tam elegantes, nitidæ ordinatæ & rectæ nunc factæ sint.

Regi vel duci suo apes domum & cellam in unâ vel *mediâ parte alvei* separatam, tuberculo eminentem & reliquis cellis amplio-rem exstruunt. Seneca: (O) *Apium regi amplissimum cubile est, medioque ac tutissimo loco.*

Ad hujus rei imaginem, cives publicas domos, & imprimis regiam, in sublimiori loco, & quidem amplissimam, ad splendorem & magnificentiam, honoris Regi debiti causa, exstruunt. Plerumque verò ædificant aulam in *umbilico regni*, non modò, velut in tutiori loco; sed ubi in omnia circumjecta regimen, & quod passim in regno geritur, facilius cognosci, & populo commodior ad Regem aditus esse potest. Hoc natura monstrasse videtur non modò in apibus, sed etiam in aranea, quæ in medio casse à se contexto sedens, omnia filorum exordia pedibus tangit: ut  
quum

quum quid ex animalculis, muscis & aliis hujusmodi plagas involarit ex quacunque parte, de proximo sentiat, & occurrat capiatque.

Quum autem apes munda loca ament, & fætorem non ferant; excrementa in unum congerere locum ac per otium egerere solent. Cauti apum custodes maceriam opiariorum quoque circumdant, quâ gravem cœni & sterquilini prohibent odorem.

Civitas etiam studiosa munditiæ erit, quæ, præterquam, quod ad nitorem & elegantiam urbis facit, eandem à lue præstat liberiores; præsertim si sordes per fluentia aut cloacas emittantur, in quibus extruendis olim Romani magnos quidem, sed utiles publico sumtus fecerunt. In urbis Hierosolymitanæ latere orientali fuit *porta stercoreum* ita dicta: quod urbis sordes, aquis pluviis detersas, in torrentem Cedron rivus è piscina veteri, quæ in foro rerum venalium erat, ortus, per istam portam exonerabat (p) salutare sane opus. Illuvies enim & sordes platearum nisi in tempore egerantur, facile tetris exhalationibus aërem impurum & pestilentem reddere possunt. Apud Romanos inter alia etiam Ædilium officium erat, ut vias & vicos luto purgari curarent, & munditias à populo exigent. Cajus Cæsar Vespasianum Ædilem,

Ædilem, propter curam verrendis viis non adhibitam, luto conspergi jussit. (q)

- (i) 2. Reg. 20, 20. (k) lib. 1. ep. 18. (l) *Metamorph.* 1, 15. (m) *de R. R.* 12, 3, 16. (n) *Haxaëm. H.* 8. (o) *Clem.* 1. 19. (p) *Heidman. Palestina* cap. 11. §. 110. (q) *Sueton. Vespas.* cap. V.

### CAPUT III.

*De ordine imperandi & parendi. Quam salutaris reipub. sit. Rex unicus esto. De modis constituendi Regem aut magistratum.*

Quum teste Aristotele (t) nullus grex ducere careat, tamen præ cæteris animalibus brutis inter apes singulare agnoscimus simulacrum ordinis imperandi & parendi, quo societatem inter se suo more conservant. Instar imperantis ac regis habet apum dux, & tantum unus. Hieronymus (s) *In apibus princeps unus est.* In reliquis obsequendi quandam similitudinem experimur; de qua inf. cap. VI. plura.

Certum ordinem imperandi & parendi divinitus inter homines institutum esse, scimus; Qui si non esset, societatis humanæ vinculum in omni statu citò dissolveretur, & ferarum, non hominum vita esset; aut, si hominum, non alia, quam Cyclopica vita: ubi qui



quilibet quidvis pro lubitu agere pergeret, ubi nemo ullius imperium vel audire posset, vel sequi vellet. At legitimus ordo regendi & obediendi est verè regia omnem statum, & de quo nunc præcipuè agimus, civilem in suo vigore ac felicitate tuendi via. Monarchicum verò statum, vel unius imperium ratio & experientia hodie reliquis præfert; quod ut rem manifestam, pluribus exsequi nihil necesse est. Natura ipsa illud svadere videtur; ut in grege & apibus; velut ante dictum est. Naturâ monstrante etiam rex apium sumi dicitur, & qui ceteris formâ ac lenitate præstet; uti Basiliius & Eustathius (t) loquuntur.

Nostri moribus vel creari vel succedere regem, constat: & habere eum, quàm quærere, certius ac tutius habetur.

(r) lib. VIII. hist. animal. cap. XIII.

(s) epist. IV. ad Rusticum monachum.

(t) Hexaëmer VIII.

#### CAPIT IV.

*De notis boni malique Regis. Simulatè bonum, sed reapse improbum, plus nocere Reipub. quàm apertè malum.*

Duo genera regum sunt in apibus, inquit Plinius, (u) *meltior rufus, quàm niger, variusque. Omnibus forma semper egregia, & duplo quam ceteris major, penna breviores,*

*crura recta, ingressus celsior, in fronte macula quodam diademate candicans; multum etiam nitore à vulgu differunt.*

Dignitas corporis venerabilem quidem facit rectorem populi; longè tamen magis animi præstantia; qua si cunctos antecedit, qui cunctos honore superat; eò gratior erit, quò istâ parte excellentior. Talis autem vult magis esse, quam videri bonus, ut de Catone Sallustius scripsit; non tam purpurâ suâ, quàm animi decore pulcher; & qui suum cum publico conjungere bonum cupit. At niger moribus, & varius in omni genere vitæ, non est aptus sceptro. Catullus quidem, more suo facetus ac liberæ linguæ, non multum laborat de Cæsaris moribus sive candidis sive nigris, dum scribit:

*Nil nimium studeo Caesar tibi velle placere,*

*• Nec scire, utrum sis albus an ater homo.*

Sed seriæ probæque mentis viris Princeps a tris moribus non probatur: quia, ut verbo dicam, regni macula est, & ad se præcipua, nihil vel parum ad rem publicam refert. Minori tamen periculo est reipub. apertè malus, quàm simulatè bonus, & callidè fallax. Illum, quod manifesta vitæ labes eum statim ostendit, vel in electione præterire possunt subditi; vel, si successionis beneficio fruatur, legibus regni, in quas jurat, intra metas officii se suo & communi bono tenebit. Illius pravas artes,  
quia

quia patent, magis etiam subditi, quantum in illis est, cavere possunt. At qui boni regis imitatore agat, & tamen

*Vapido gestat sub pectore vulpem,*  
 atque adrepat ad fastigium imagine virtutis, eò nocentior est, quò magis eâ specie imponit credulis ac simplicibus; secundum illud P. Syri: *Malus cum se bonum simulat, tunc est pessimus.* Exemplo sit Pisistratus, qui, apud Athenienses, blandus in colloquio, studiumque juvandi pauperes præ se ferens, imitatione eorum quæ naturâ ipsi non inerant, effecerat, ut probitatis ac modestiæ opinione eos etiam, qui revera tales erant, vinceret, & videretur præsentis status amantissimus. Sed his artibus dominatum invadebat. Ita Tiberius sub larvâ simulationum tantò pejor erat, quantò melior verus Princeps in suo vultu rectoque animo, qui cives suos simpliciter amat, & salutem publicam bonâ fide quærit.

(u) *lib. XI. nat. histor. cap. V.*

## CAPUT V.

*De boni Regis ac magistratus officio, per partes comparationis descripto.*

**R**EX apum non nisi emigraturo examine provolat foràs (x) quum ita usus postulat. Si verò ille non unâ provolet, apes dissipantur;

pantur; quod firmat proverbium Svecicum: *By uthan wyse dhe flyga willa wágar / Apes absque duce passim oberrant.*

Ita populi rector non semper domi latitabit; ut testudo: ne conspectum civibus vel fastu, vel invidiâ subtrahere; aut secreto loci vitia tegere velle videatur. Nec tamen in publico nimis versabitur: ne vilem se reddat, ubique se vulgando, sed quoties opus est ejus præsentia: ut vel imperio præsit, vel exemplo præeat subditis, ut ducat eos quò debet. Multitudo verò sine imperio regis aut ductu, est instar corporis absque capite.

Dum apes intentæ sunt labori, rex solus ab illo immunis, operum tamen est inspector, & tanquam exactor:

Ita Rex, etiamsi manum operibus externis & quibusvis ipse non admoveat, tamen

*Curis acuet mortalia corda,*

*Nec corpore gravi patietur regna veterne,*  
ut Virgilius loquitur. Ab omnibus rationem otii negotiique sæpius poscet; ac promptos laudabit & ornabit, segnes castigabit: inde fructus laboris, æmulatio & justus metus pro necessitate laborandi & intentæ diligentia erunt. Verè Columella (y) *Nulla*, inquit, *est vel nequissimi hominis amplior custodia, quàm quotidiana operis exactio.* Non solum universis, sed & partibus consulat Princeps, omnibusque reipub. membris ope suâ præsto erit.

Seniores

Seniores apes, ducem proximè stipare scribunt Ælianus (2) & alii: quod sint modo suo cautiores.

Quum Rex, ob varietatem & difficultatem negotiorum publicorum, omnia solus suâ prudentiâ ac virtute ordinare ac peragere non possit; opus habet pluribus oculis & manibus; id est consiliis & ministris. Quamvis autem Rex omnium regni Senatorum consilia, ad eligendum inde optima, audire debeat; seniores tamen consiliarios atque amicos sibi proximos à latere esse curabit: quod oculo mentis prudentiâ rerumque usu superant alios.

Regem apum nonnulli carere aculeo volunt; alii aculeum habere ajunt, sed eo non uti: ut ostenderet natura, Regem ad tuendum subditos & eorum salutem, non vim exercendam aut nocendum suis natum esse.

Regem quidem auctoritate & majestate, muneris ac dignitatis suæ causa, munitum esse oportet; eâ tamen non ad opprimendum innocentes, sed plestendum reos, & defendendum probos utetur; cogitans, sibi imperium, vel se imperio datum esse, non ad nocendum, sed benefaciendum. Seneca eleganter: (a) *Rex apum sine aculeo est. Noluit illum naturæ favum esse, nec ulionem magno constitutionem petere; telumque detraxit, & iram ejus inermem reliquit. Exemplar hoc magnis Regibus*

*bus ingens. Pudeat ab exiguis animalibus non trahere mores: quum tanto hominum moderatior esse animus debeat, quanto vehementius nocet. Item Basilius: (a) Tardos ad vindictam pœnamque sumendam, ad exemplum regis apum, esse oportet, qui maximas obtinent potestates. Quod convenit notis Poëtæ versibus:*

*Sit piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox,  
Et doleat, quoties cogitur esse ferox.*

Aculeum tamen Rex si non in se, tamen in potentiâ suâ habebit; id est, viribus suis propriis & externis & ope fœderatorum, si necesse sit, instructus erit: ne nudum majestatis nomen, viribus destitutum, alienæ injuriæ objiciatur; neve hostes & adversarii illum temerè irritent, quem sciunt ad vim repellendam esse promptum, & viribus instructum. Cæterum cum ratio ac præsidium juris Regi sint pro munimento interno, illis vires externas ac potentiam moderabitur, ut eas rite usurpet. Senecam (c) iterum audiamus: *Ita virtutes magnis viris decori gloriæque sunt, si illis salutaris potentia est, nam pestifera vis est, valere ad nocendum.* In hanc sententiam laudatur Henricus tertius, Rex Galliæ, versibus in conclavi oppidi Blæsensis scriptis:

*Hæc HENRECE tua est & laus & regia virtus,*

*Posse nocere quidem, nolle nocere tamen.*

Quorum versuum auctor haud dubiè imitatus

tas est illud, quod C. Pado, vetus poëta, de Druso scripsit :

*Nec nocuisse ulli, & fortunam habuisse nocendi.*

Erga bonos & emendabiles benignus, comis ac lenis, adversus obstinatos, prætractè malos & sceleratos justè severus erit : ut eum boni ament, mali reveantur.

(x) *Arist. hist. animal. 9, 40.* (y) *de R.R. 2, 11.*

(z) *hist. an. 1, 10.* (a) *1. de Clem. c. 19.* (b) *Hexæm. b. 8.* (c) *lib. 1. Clem. cap. 2.*

## CAPUT VI.

*De subditorum & civium officio, obedientia & amore erga Regem. Prasente Rege, quasi cessare & quiescere inferiores potestates. De Civium concordia, fide & ejus fructu.*

Singularis & velut insitus naturâ est apibus amor erga regem suum & obsequium. Quum in publicum prodit, totum examen eum sequitur & densò agmine cingit, quasi stipatores & custodes corporis regii ; quælibet se proximam illi & comitatu & officio esse desiderat. Fessum regem humeris subeunt & quasi succollant, (d) oberrantem odore persequuntur, donec in conspectum ejus redierint, & domum reduxerint, Ubicunque ille versa-

tur, apparent, eique suis servitiis præsto sunt. Claudianus: (e)

*Regem*

*Nascentem venerantur apes.*

Virgilius: (f)

*Regem non sic Ægyptus & ingens*

*Lydia, nec populi Parthorum aut Medus  
Hydaspes*

*Observant.*

Si sic bruta, quanto magis homines usu rationis pollentes ac subditi, jure divino ac naturæ, & subjectionis vinculo, ad parendum regi & magistratui obligantur. Quisque in officio primus conspici sataget; nemini amore & fide erga regem cedit. Principi, laboribus publicis onerato ac defatigato, non magis erunt oneri, nec irritamento & offensionis calumniosis & malignis sermonibus; sed obsequio & patientiâ ad lenitatem flectent: Regem in pace bellove nunquam deserent; sed, ut se jurata fide ei obligarunt, ad extremum usque spiritum tuebuntur: pro Rege vitam & fortunas amittere parati. Velut cives Spartani circa Principem suum versati, totique patriæ fuisse feruntur; adeò ut præ utriusq; amore sui propemodum obliviscerentur. Hujusmodi civium amor est optima Regis custodia; quò alludit in arce Gallica S. Germani prope Parisios fenestra cujusdam Xysti, exhibens pictum apum examen,



examen, quod regem suum cingit, hoc addito elogio: *Plebis amor, Regis custodia.*

In conspectu regis sui apes aculeos suos submitunt, & reverentiæ causa, & potestate eis cedentes (g)

Ita Rex populi, quum supremam habeat potestatem quocunque venit, inferiores magistratus honore & imperio sibi cedere & quasi quiescere facit. Unde Guntherus (h) *Ligurin. de Rege:*

*Jus habet, ut presens quasi maximus omnia  
judex,*

*Claudere jura manu, cunctasque recidere lites  
Debeat atque omnis judex omnisque potestas,  
Atque magistratus ipso presente quiescat.*

Confer jus militare Svetiæ Artic. XIX.

Exstincto rege, commune ac triste est, per omne alveare, silentium; ac remisso labore, lugubri solùm murmure circa corpus regis glomerantur; uti Plinius scribit. Idcirco multitudinis oculis subducitur, ne ad conspectum exanimes ferme, inediâ ac mœrore contabescant apes.

At quanto doloris affectu Principis boni mortem, ut publicum & commune reipub. funus, subditi lugebunt; atque si queant, unguibus eum è terrâ refodere optabunt? Quale Syracusanorum erga Dionem (k) erat disiderium; ut eum suo sanguine, si possent, redimere cuperent.

Præter hæc, concordia & fides populi erga Regem, est verè aurea Reipub. catena, quâ mentes imperantium & parentium arctissimo vincuntur nexu; &, ut sibi invicem sunt stabilimento, ita terrori hosti Quos enim tam conjunctis videt animis esse, & tam fidos Regi subditos, hos difficiles superatu comperit, & temerè aggredi veretur hostis,

(d) *Varro de R. R. 3, 16.* (e) *paneg. in Honor.*

(f) *Georg. 4.* (g) *Ælianus hist. animal. 1. 60.*

(h) *lib. 2.* (i) *lib. 11. cap. 18.* (k) *Cornel. Nep. in Dione.*

## CAPUT VII.

*De distinctis civium & subditorum munitis, industria, labore, otii fuga; & harum rerum utilitate pub. ac privata. Qui sint ignavi reipub. fuci. Ex occasione disquiritur, num è re sit, otiosos urbe statim expelli, & quomodo comprimendi sint. Pœnas oportere dirigi ad emendationem punitorum. De studio acquirendi. Quod tamen cum modo erit: ne per id cura liberorum rectè educandorum negligatur.*

**H**Abent apes opera inter se divisa. Quædam struunt tecta, quædam apportant aquam,

aquam, quædam flores libant, unde melleum liquorem conficiunt; aliæ onera advolantium excipiunt; aliæ educant fetus. Seneca: (1) *Non vides, quanta subtilitas sit apibus ad fingenda domicilia? Quanta dividui laboris obeundi concordia?*

Equidem ad ordinem reip. ad commodum commune & singulorum pertinet, si cives distincta habeant munera, & vitæ victusque genera, & sua agant, nec alienis aut pluribus, quam sustinere possunt se implicant: ne nimis curiositatis atque avaritiæ vitium in rempub studiosè immittant: ne promiscuis negotiis discretæ muniorum partes confundantur ac conturbentur; ne alter alterius commodis obstet, si pauci plura occupent, singulis ex æquo communicanda. Joh. Sacrisber. Policrat.

(m) *Dum variis tenentur occupationibus cives, & dum sic coluntur officia singulorum, ut universitati prospiciatur; dum justitia colitur, fines omnium mellea dulcedo perfundit.*

Admodum verò laboriosæ sunt apes semper in actu & opere. Aristoteles in historiâ animalium apes & formicas insectorum *ἰσχυρότατα*, animalcula operi maximè intentæ esse scribit. *Nullus, quum per cælum licet, otio illis perit dies*, inquit Plinius. Phocylides apem *ἀριστόπων* optimè laborantem vocat, non solum ob præstantiam operis, sed etiam assiduitatem. Ignavos autem fucos, qui mella

alieno labore parta suffurantur, à se expellunt. Notus est Maronis versus:

*Ignavum fucos pecus à praesepibus arcent.*

Velut autem Salomon otiosos & ignavos ad formicas remittit, ut ab illis discant laborare; ita non tædebit eosdem, si tandem sapiant, exutis otio & inertia, etiam ab apibus laborem discere: in quo, propter assiduitatem & industriam, Aristoteles *aves & formicas* adæquat. Ab illis autem homines ad laborem natos, ut aves ad volandum, industriam superari, turpe & indignum sit nobilioribus, & rationis usu & valetudine pollentibus creaturis. Equidem dum Deus hominem post lapsum, ad laborem sudoriferum damnavit, ipsam quoque pœnam multum ei profuit. Illo enim si sedulo occupetur & exerceatur homo, quod corpori durum videtur, amor diligentiae & consuetudo facile reddet. Sed & præter manuum & ingenii fructum, labor tristium & ærumnosarum cogitationum (sive remedium est; & à multis vitiorum illecebris, quas otium subministrat, hominem retinet & avocatur. Imò ad cives in officio & quiete continendos, ad mitigandos feroces animos, & à turbis detinendos, ad publica reipub. & privata hominum commoda augenda, non video, quid, post pietatem, sit valentius, quam labor ac industria. Sallustius (n) de rep. ord. *Provideas oportet, uti plebs habeat negotia sua, quibus*

*quibus ab malo pub. detineatur.* Sed ignavos fucos, ad aliena pabula ledentes, quales sunt homines otiosi, fures, latrones, prædones, validi mendici, parasiti, adulatores, delatores, erronei, ardeliones, scurræ, mimi, agyræ, prodigi, helluones, bibones, qui non edunt & bibunt ut vivant, sed vivunt ut edant & bibant, & simile genus inutilium terræ ponderum; aut amoveri, aut honesto operi addici, aut, si illud detrectent, vitæ subsidia, ex monito S. Pauli, illis detrahî, proderit: ut metas pœnæ, vel necessitas illos laborare cogat, quos levitas & otium non ex alieno tantum succo vivere, sed etiam malas artes edocet. Antoninus Imp. illis salaria subtraxit, quæ otiosos videbat accipere, *nihil esse sordidius, imò crudelius, dicens, quam si rempub. arroderent, qui nihil in eam suo labore conferrent.* Apud Athenienses otii ter reus peractus, infamiâ notabatur. Ægyptiis capitale erat ignaviæ vitium. Apud Lucenses hodie expelluntur urbe, qui nullam aliam egestatis suæ causam, quam otium & ignaviam habent.

Quidam etiam fucos in totum præcipiunt exterminandos, aut necandos esse. *Quod ego, inquit Columella, (o) Magoni consentiens, faciendum non censeo, verum sevitie modum adhibendum.* Rationem hanc subjungit: *nam nec ad occidionem gens interrimenda est, ne apes*

*inertiâ laborent : quæ, cum fuci aliquam partem cibarium absumunt, sarciendo damno. fiunt agiliores. Nec rursus multitudinem prædonum coalescere patiendum est : ne universas opes alienas diripiant.* Eadem Aristotelis sententia, ante Columellam, fuit. Quod de fucis Mago, Aristoteles & Columella statuerunt, si applicemus ad otiosos in repub. vel civitate, præstare videtur, ignaviam expellere, quam ignavos & otiosos : velut medicus morbum profligat aut chirurgus putre membrum abscindit, ut hominem servet. Si verò ignavus statim tollatur, aut ob delictum (nisi grave sit) infami supplicio afficiatur ; ut si stigmatæ frons inuratur, vel aurium amputatione caput minuatur ; hujusmodi conspicuus notis, quò cunque veniat, ad nullum officium admittitur ; quum tamen pœnæ ad emendationem vitæ puniti & spem melioris mentis dirigendæ sint, ut est in Regulis Judicum Svecicis artic. XXV. Hinc talem ejusve similes facile desperatio ad deteriora, imò pessima quæque incitabit, quos discretio in pænis, laborque & industria tandem ad sanio rem mentem revocare posset. Sed & si confestim expellatur urbe otiosus aut infamiâ notetur, nihilominus ipsum ignavia & fortè mala mens aliò comitatur. Ut ergo fucis, dum aliquo modo & occasione apibus utiles sunt, parcere, satius esse putatur ; ita ignavi ferendi sunt, quando,

do, deposito otio, laborare cæperunt. Quod si nolint, plagis aut fame sunt coërcendi. Plinius (g) olim, quum proconsulari imperio Bithyniæ præffet. consuluit Trajanum Imperatorem, quid sibi de otiosis in nonnullis Bithyniæ civitatibus; (qui antea ad pœnas damnati, se iis subtraxerant, & postea frugaliter ac modestè vixerant) faciendum esset; ubi sic ad eum scripsit: *A repub. pasci otiosos, inutile; non pasci, etiam periculosum existimabam:* ne nimirum egestas & rerum desperatio illis conjurationem, seditionem, furta aliasque malas artes svaderet; ut ad hæc Plinii verba Rittershusius commentatur. Plinio respondet Trajanus in hunc modum: *Distribuendos illos in ea ministeria, quæ non longè à pœna sint.* Quod hodie observatur in bene moratis Civitatibus, dum in *domum disciplina*, vel ad *opera publica* ignavi, aut validi mendici, aut malè viventes traduntur: in quibus opera eorum & ministeria etiam parum absunt à pœnâ. Si enim laborent, cibo necessario aluntur; si nolint laborare, aut flagris aut inedia castigantur. Quidam etiam prodigi labore puniuntur, donec resipiscant. Quo intuitu, limen domus disciplinae Hamburgi hæc verba præfert: *Labore nutrior, labore plector.* Qui verò egeni senio aut membris debilitati laborare nequeunt, cum delectu, ex publico ali solent. Quod si validi otiosi insanabilis prorsus

prorsus ignaviæ sint, post unam vel alteram admonitionem, urbe exigendos esse statuit Gustavus Magnus (r) aut, ut hodie quoque fieri solet, militiæ hîc adscribi consueverunt : ut vel hoc modo regno serviant, de quâ re alibi (s) fufius.

Feruntur apes in abundantia florum tam studiosæ esse mellificii, ut sobolis obliviscantur. Unde Palladius : (t) *Nocet apibus plerumque felicitas sua. Nam sinimis floribus annus exuberat, dum solam curam gerendi mellis exercent, de prole nihil cogitant.*

Simili modo non pauci parentum magis de divitiis conquirendis, quàm liberis suis bene educandis solliciti sunt ; quum tamen maximè intersit parentum, liberos habentium, & ipsorum liberorum, imò ipsius Reipub : ut hi rectè educentur. Si verò parentibus major sit cura bonæ fortunæ, quàm bonæ animi liberis suis acquirendi, filii plerumque parentum similes ad quæstum & divitias omnia referunt. Unde civitas lucri appetentibus & avaris repletur, & pauci bonæ mentis cultu imbuti atque optimis artibus dediti sunt. Virtutum tamen præcipuam curam à parentibus in educandis liberis, ex auctoritate publicâ, haberi, maximè expedit reipub.

(l) epist. 21. (m) lib. 6. c. 21. (n) ep. 1. & 2.

(o) de R. R. (p) lib. 10. ep. 40. (q) d. lib. 10. ep. 41.

(r) art.



(r) art. 27. Const. de administr. & increm. civit.

(s) lib. 3. c. Antiq. Sveogoth. (t) de rerust. 4, 15.

CAPUT VIII.

*Non sibi solum privatim, sed etiam publico ex parte acquirendum esse. De tributis civium, ea pro facultatum subditorum & temporum modo imponenda subditis esse. Parcimoniâ privatâ & frugalitate sublevari onera publica, & stabiliri rem familiarem. Aerarium tuto loco habendum esse.*

**Q**uicquid mellis apes laborant, non sibi solis, sed partem regi suo, partem dominis alveorum partem communitati faciunt. Hoc est quod Maro de illis dixit:

*In medium quaesita reponunt.*

Parem in modum cives ac subditi non sibi suisque solum, sed patriæ quoque laborabunt, & in publicum quærent seponentque Regi vel superioribus partem suorum bonorum, loco census, vectigalis & tributi. Hoc juri divino, naturæ & gentium conveniens est. Tullius: *Non solum nobis divites esse volumus, sed liberis, propinquis, amicis, maximeq; reipub. Singulorum enim facultates & copia sunt divitiæ civitatis.* Hoc enim & ratio syadet,

svadet, & usus postulat, & necessitas jubet: ut, qui sub umbrâ pacis ac quietis publicæ tutelâ degere cupiunt; etiam defensionis ac tranquillitatis publicæ subsidia, pro debita portione, conferant.

Quando verò mellatio ex apium fructibus fit, non omnes favi solent eximi, sed priore messe, dum adhuc rura pastionibus sca- tent, quinta pars tolli, alterâ messe, cum imminet hyems, secunda vel tertia pars fa- vorum hiemationi solet relinqui: ut tunc habeant, unde vivant.

Sic quando tributa subditis imponun- tur, non modò pro facultatibus cujusque, sed etiam pro temporis vel durioris, vel mollioris ratione, tributa moderanda & exigenda sunt. Quod Columella de apibus dixit: *Si nimium illis detrabas, injuriâ contristata, velut desperatione rerum profugiunt*; hoc Rehabeam in suo populo per nimiam tributorum exacti- onem apprehendit. Ut non minus comatis, quam calvis molestum est pilos velli; ita tam opulenti quam tenuiores non facile de suâ pecuniâ nimium detrahi patiuntur. Unde Annibal apud Livium ex vulgi mente: *Tantum nimirum ex publicis malis sentimus, quan- tum ad res privatas pertinet; nec in eis quicquam acrius, quàm pecuniæ damnum stimulat.* Hic ergo facultatibus singulorum & tempori con-

convenientem modum observari præstat :  
ut omnes oneri ferendo pares sint.

Si exiguo fortè mellis proventu, demensum in victum non sufficiat apibus, solent parci possessores mel tertia parte puræ aquæ miscere, & in alimentum apibus præbere præterquam quod apes ipsæ per se non prodigæ, sed parvo contentæ & parcæ sunt. Virgilius (u)

*Apibus quanta experientia P A R C I S ?*

& Martialis :

*Huic uni parca laborat apis.*

Equidem si cives parcus sumtum faciant, nec genio plus æquo indulgeant, nec supra vires facultatum suarum & conditionem suam ædificent, nec se suosque nimis vestiant; nec molliter curent; ut multi passim solent; non solùm id onerum publicorum sublevationi erit, sed etiam quod in propriæ rei familiaris incrementum reponant, supererit. Magnum enim vectigal est parcimonia, ut Orator verè dixit. Aliquando quidam ex plebe cives, honesti tamen, Holmiæ coram R. Drotseto de gravibus tributis conquesti, responsum ab eo acceperunt: Si uxores & filiarum non sericis & holosericis vestibus uterentur, sed minore sumtu, decorè tamen, amicirentur, & frugaliter viverent ipsi cum suis, tributa illis tolerabilia fore.

*Apes non primos, ne furantibus occasio  
magis*

magis obvia sit, sed intimos ac novissimos alvei sinus melle replent.

Ita ærarium tuto ac bene munito loco habendum & fideliter custodiendum est: ubi liberum sit à furum & harpyarum manibus; atque, si bellum ingruat, ab hostium invasi-  
one. Sed de hoc alii plura.

(u) 1. Georg. (x) lib. XIV. epig. 222.

## CAPUT IX.

*De exercitationibus ac ludicris civum in pace. Inanes, noxios, scurriles & obscenos ludos prohiberi, ad studium bonæ staturæ & morum homines exerceri, atque decoros, tempestivos ac moderatos esse ludos, reipub. interesse.*

Quum omne tempus in negotium & otium distribuatur, apibus etiam utriusque certa est usurpatio ac remissio. Justis operum confectis, exercitationi se dant atque recreationi: dum in apertum evolant, & gyris in alto editis, modò concurrunt, modò recedunt; quasi umbraticis certaminum præludiis intentæ. Lusu quum satis indulserunt, ad laborem ac mellificium suum revertuntur.

Juventuti & civibus aliquid honesti laxamenti dandum est: quod sit pro levamine laboris

laboris & lætitia animi curis onerati : Quod promptiores obsequio, & oneribus publicis privatisque patientiores reddat. Ut enim Virgilius rectè monet.

*Alternis facilis labor est;*

Alternis, nimirum interposita tempestiva quiete & recreatione, facilius sustinetur labor. Sed si nimis arcum tendas, tandem, ex proverbio rumpitur. Plerisque gentibus otii fuerunt oblectamenta. Romani suos ludos civili nomine *munera* appellabant: Quod se magistratus illis non exiguâ impensâ populo *munera* præstabat, atque operam liberalem gratificabatur; exercendo iis etiam illos ad militarem virtutem & victoriam.

In apibus verò Virgilius, earumque imaginariis ludis, quos negat illis in tantum permittendos esse, ut per eos à serio & magis necessario labore ac mellificio avocentur; homines simul docet, utilia ac necessaria ludicris & inanibus præferre, his versibus:

*At cum incerta volant, cæloque examina ludunt,*

*Contemnuntque favos & frigida tecta relinquunt,*

*Instabiles animos LUDO prohibebis INANI.*

Inprimis ostendit, cavendum esse in ludis publicis admittendis, ne sint INANES, scurriles & obscæni: ne, dum animi causa fieri dicuntur, animum ad ficta exempla & spe-

Q

ctacula,

ctacula, verâ imitatione solutum ac levem,  
 libidinis ac voluptatis servum faciant; ne  
 truci actu adspectuque mentes hominum ef-  
 ferent, aut molli effæminent; sed honestatis  
 actionibus, laudum & virtutis decori per  
 ludicra conveniant. Quid aliud mascu-  
 la Græcorum & Romanorum pectora ma-  
 gis tregit, quàm licentia scenica, & ex eâ, la-  
 sciviæ ac voluptatis laxæ habenæ? Quò sine  
 dubio respiciens Columella & ad simplicia  
 majorum tempora, talem licentiam igno-  
 rantia, digitum intendens, dixit: (y)  
*Sine ludicris artibus olim satis felices fuere  
 futuraque sunt respublicæ.* Certè Spartani Mal-  
 filientes, & veteres Gothi ludicra scurrilia in  
 suis rebus publicis non ferebant. Equidem  
 instabile vulgus INANIUM studio sæpe stu-  
 pidum, animum magis agyrtarum, histrio-  
 num & circulatorum ludis quam seriis & ho-  
 nestis intendit. Hujusmodi circultores &  
 ludiones Labeo vetus Jureconsultus (z) suis  
 coloribus descripsit: *Quod frequenter sine  
 causa vagentur, & in res nugatorias tempus con-  
 sumant.* Nam præter nobilis, pretiosi & ir-  
 revocabilis temporis in talibus jacturam, ve-  
 rè rebus nugatoriis & vanis tenent homines,  
 ad pia, seria & honesta natos. Et præter istæc,  
 non parvam nummorum partem, à spectato-  
 toribus acceptam, secum abeuntes auferunt  
 hujusmodi histriones & nugivenduli. Licet  
 enim

enim singulis spectatorum exiguum videatur istarum nugarum pretium, tamen conjunctum crebroque expensum, tandem fit ingens & numerosum: Quod majori cum fructu servari & impendi reipub. privatoque usui posset. Alexander Magnus quum suâ ætate spectasset quendam circulatorem, qui grana ciceris ex spatio distante in adversam acum sine frustratione mittebat; istius leguminis modio eum donatum dimisit. Dignum ineptiarum labore præmium; nisi quod majorem ineptias tales exercendi materiam accepit nugator. Quidquid verò fiat de pretio & tempore spectandi ludicra lepida, nec inhonesta tamen; maximum corruptionis morum periculum ac damnum metuendum est, si lascivi & turpes ludi, frequentesque sint; quod in nonnullis rebuspub. experientia testatur. Itaq; præstat, & expedit reipub. ut illi decori, tempestivi ac moderati sint. Si ne privati quidem parentes, si rectè sapiant, liberis ac familiæ quamvis ludendi licentiam, per quâ mores paucorum corrumpi possint, concedunt; quanto magis magistratus non dabit quibusvis histrionibus ac scurriis licentiam in publico tales ludos agendi, per quos totius ferme civitatis oculi & aures, præsertim castæ & pudicæ, non solum offendi ac lædi, sed etiam animi depravari possint. Sapienter Justinianus: (a) *Damnati, inquit & prohibiti ludi manus oculos & aures polluunt*; imò ipsum

animum, ut modò dixi, præsertim si liciti & frequentes sint, tanquam publico consensu approbati. Unde à Venulejo Ic. (b) inter *animi vitia* refertur, ludos assiduè velle spectare.

(y) *de R.R. præfat. lib. 1. (z) l. 17. §. 14. D. de edil. edict. (a) l. 34. Cod. de Episc. aud. (b) l. 65. D. de Ædil. edict.*

## CAPUT X.

*De belli externi causa, cupidine alieni.  
De modo gerendi & finiendi bellum.*

**Q**uietis apibus non semper esse licet. Infestantur enim ab externis hostibus & noxiis insectis: quæ dulcibus earum bonis insidiantur.

Simile fatum est regnorum & rerum pub. ut jam nihil dicam de aliis, & justis belli causis: quæ rectè susceptæ facilè exculantur; contra si habeant, quod ab aliis expeti possit, non deerunt invidi, callidi & inimici, qui inhient earum fortunis vel fraude vel vi quadam. Contra quos se & sua defendere etiam armis, conciliatione frustra quæsitâ, jus naturæ & gentium permittit.

Bellum autem externum quando impendet, magna illud curâ, ut ita loquamur, & ordine gerunt apes. Delectum militum  
suo

*multique socii: ut quibusdam rebus solent videri*



suo more, mirando tamen, habent: grandævos & senes domi relinquunt,

*Quibus oppida cura,*

*Et munire favos, & dadala fingere tecta,*

Uti Maro de illis loquitur; segnes fucos ab exercitu segregant; juniores, vegetiores & sedulos ad bellum emittunt. Si per hiemem in hibernis delitescant; pruinis, nivibus & aquilonis flatui impares; tamen habent sua præsidia, suas excubias & stationem ad portas. Modò hæc, modò illa per vices interdium circuit castra, & contubernales iterato bombo, velut Buccinâ excitat: sic omnes stant in procinctu. Præcipiti die circa vesperam iterum una circumvolat, eodem, quo excitaverat, bombo quietem indicens; vigilibus tamen suo loco dispositis; velut hæc rei rusticæ scriptores prolixè describunt, & Varro (c) paucis verbis complectitur: *Omnes ut in exercitu vivunt, atque alternis dormiunt & opus faciunt pariter.* In æstate verò non desides expectant domi bellum, ne intra angustias deprehendantur; sed alacres obviam hosti procedunt, ut eum in aperto campo, vel suis castris cædant. In conflictu cum hoste tam acriter & tantâ irâ, sæpe dimicant, ut venenum

*Morsibus inspirent, & spicula cæca relinquunt,*

*Affixa venis, animasque in vulnere ponant,*  
quæ

quæ sunt verba Maronis. Natura non regem apum, sed cæteras apes aculeis armasse videtur (de qua re plura sup.c.V.dixi) eo quoque fine, ut pro rege suo extra discrimen posito dimicent, eumque tueantur: Quod ex fide præstant; dum pro eo

*Corpora bello*

*Objectant, pulcramq; petunt per vulnera mori.*

Rege autem vel Duce prehensio ab hoste vel cæso, totum quasi tenetur agmen, vel fugâ dissipatur. Ovidius (d)

*Amisso dubia rege vagantur apes.*

Hæc est pulchra imago expeditionis, castrorum & præliorum inter homines. Qui ætate & corpore valent, mittantur in militiam; patres & senes domi curent; qui provideant, muniant & tegant limites regni; præcipuè fide consilio viribusque animi regere bella juvent. Quod Servius Tullius apud Romanos primus instituisse fertur. (e) Patres, & qui ad gubernaculum sedent, ex publicæ rei & patriæ bono in medium consulunt; sed sub tutâ silentii fide, ad exemplum Venetorû Patrum; qui suas de publico consultationes ita occultant, ac si prorsus ignorarent. In belli præcipuè metu vel ipso actu præcavebunt, ne in sinu propriæ reipub. foveant proditores ab hostibus ære corruptos, ipsis apertis hostibus nocentiores. Ignavi ac naturâ timidi separentur ab aliis  
corda-

cordatis militibus; vel in præsiis locentur (donec arte & usu exerciti, animosiores red-  
dantur) ne ceteros exemplo corrumpant; aut ignaviâ metuque suo cladem accelerent: quod Deus ipse in populo suo sanciebat. (f) Castris, siue sint hiberna, siue æstiva, expel-  
lant otium, lasciviam, luxum, securitatem. Defixos & intentos in omnia oculos habe-  
ant, excubias ac præsiis bene disponant; nihilque eorum, quod ad cavendum hostem facit, prætermittant; qui, si cautus sit, nullum insidiandi momentum negliget. Fabius ad Æmili-  
um apud Livium: *Armatuſ intentuſ-  
que ſis, neque occaſioni tuæ deſis, neque ſuam bo-  
ſti deſ.* Si periculum sit, ne occupentur ab hoste, occupent eum potius. In prælio sint viri ac strenui; nec tamen adeò acres, ut vir-  
tus velut extra ipsos, & ira sit supra modum, ne infra cautionem sit; neve authori suo mag-  
gis; quàm hosti nocumento. Pro Rege & patria sua fidum certamen, & ipsam, si res ita ferat, mortem non abnuant: pro quâ illis immortale decus supererit. Rex verò dubiis præliorum exemptus, summæ rerum & imperii se reservabit, ut Tacitus docet: ne amisso ca-  
pite, membra militesque concidant. Quod in-  
tuentes Hebræi, Davidem in prælium adver-  
sus Absolonem descendere noluerunt: quod illis rex pro decies millibus esset. Si verò im-  
peratorem, pro patriâ & subditis suis pu-  
gnan-

gnantem, in prælio occumbere contingat, milites consistant & recolligant animos. Ducis lethum sit ipsis justæ vindictæ & virtutis incitamentum; ut erat GUSTAVO MAGNO in acie fortiter occumbente, militibus illius herois; non ignavæ desperationis telum. Ideò autem bellum geratur, ut optata pace finiri possit.

(c) *de R. R. 3, 16.* (d) *III. Fast.* (e) *Dionys. Halicarnass. Antiq. Rom. IV. 20.* (f) *Deut. XX, 8.*

## CAPUT XI.

*De bello ac motu intestino, ejusque causis: plurimum imperio, validiorum potentia, inequalitate, paupertate vel divitiis nimis.*

**N**ON solum foris hostem habent apes, sed etiam intra sua pomæria quandoque inveniunt; quod ex non unâ fit causâ. Si plures uno sint unius populi reges, inde inter ipsos dissidia, & ex his populi in partes distractio & motus, Maro:

*Sape duobus*

*Regibus incessit magno discordia motu.*

Varro: *Nigrum cum altero rege esse seditiosum, & corrumpere alveum.*

Ita regni societas, ex Minutii effato, nun-

nunquam cum fide cæpit, aut sine cruore de-  
fiit. Cæsaris & Pompeji civile bellum, alio-  
rumque bella intestina, etiam nostra ætate, ex  
hac causâ orta, nota sunt; & firmant illud  
Homeri :

*ἔκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη,*

*Non bonum multorum imperium.*

Item si senior apium rex à junioribus a-  
pibus submoveatur aut elidatur, inde, subla-  
to custode, turba partim licentiâ perstrepat,  
partim senatus juniorum imperio subjicitur,  
vel validiorum potentiâ atteritur, uti obser-  
vat Columella; inde novæ turbæ nascun-  
tur.

In Rehabeami imperio, spretis senio-  
rum & peritorum consiliis, turbatum & di-  
stractum est regnum Israelitarum. Quomo-  
do enim non distrahatur aut corruat impe-  
rium? si fulcra ei subtrahantur, id est, si re-  
rum periti & bene imperio volentes postpo-  
nantur aut supprimantur; si animo pueri,  
imperiti, elati & pertinaces extollantur; qui  
vires nacti, imbecillioribus insultant.

Breves etiam adversus longas apes fla-  
grare odio feruntur, easque alveo pellere co-  
nari: si illæ ab his in angustiam cogantur  
aut infestentur. Quod etiam in aliis ani-  
malibus videre est, ut plus valens plus urge-

at, & minor sit esca majoris, secundum Var-  
ronis versus :

*Qui pote plus, urget: pisces ut saepe mi-  
nutos*

*Magnu' comest, ut aves enecat accipi-  
ter*

Sic in repub. propter inæqualitatem motus exsurgit: quum una pars civium, for-  
tè valentior & opulentior, plus posse & ex-  
tollì, quàm altera videtur. Ita Romæ non  
una seditio plebeiorum contra patricios  
exorta est ex inæqualitate opum, honorum,  
conjugii &c. de quibus alibi. Apes insu-  
per quædam, si ipsarum alveo desit cibus, im-  
petum in proximas faciunt, rapinæ proposi-  
to, ut loquitur Plinius (g) Item in conve-  
hendis floribus quandoque rixa & motus o-  
ratur.

In imperio civili idem quandoque u-  
suenisse constat, si necessaria deessent, vel  
consveta non suppeterent. Sallustius: *A-  
nimus ferox, pravâ viâ ingressus, ubi consueta  
non suppetunt, fertur accensus modo in socios,  
modò in cives, movet composita.* Aut, si ci-  
ves, florente statu pub. ex copia rerum luxu-  
rient, & quieta turbent. Inde Plato (h) pau-  
pertatem & divitias nimias, duas reipub.  
pestes appellabat: Quod illa ex desperatio-  
ne fortunæ improbas artes & rerum nova-  
rum

rum studium; hæ ex abusu ignaviam, luxuriam, fastum, aliorum contemptum & oppressionem excitarent. Sinense regnum exemplo sit. Illud tam dives & omnium rerum copiâ affluens imperium primò otium, luxus, potentiorum, alios præ se contemnentium, aut vicinos Tartaros indignè tractantium, conjuratio, proditio, discordia & rebellio miserè concussere; uti scriptores regni Chinesis vel Sinensis fusè referunt; deinde eadem, accedentibus prædonum ex desperatione fortunæ suæ rapinis, & tandem intestinum bellum, nobile illud imperium in Tartarorum potestatem redegerunt. Quid Cretam vel Candiam nuper Turcico jugo subjecit aliud? Quam ex fortuna & opibus insolentia, & aliorum vitiorum sentina?

(g) *lib. XI. natur. hist. c. 17.* (h) *lib. IV. de Repub.*

CAPUT XII.

*De motuum intestinorum remediis. Eos arte, consilio, suadâ, & ad extremum ferro, si non aliter queant, à Rege reprimendos esse. Qui plus possunt, vel à suspectis sejungendos, vel, si quieti sint, tractabiles.*

¶

*Et virtute præsent, beneficiis imperio conciliandos esse. Omnes in quiete Et fide quavis honestâ viâ retineri satius esse. In nimia civium abundantia superfluos Et reipub. graves in colonias emittendos; reliquos domi remanentes, si ditiores sint, à luxu Et insolentia per leges sumptuarias retinendos; si egentiores, necessariorum copiâ continendos esse.*

**S**ed ne isti motus civiles perniciosius erumpant, quomodo via illis obstruatur, paucis hîc pro instituto nostro dicemus. Primum motuum remedium est, si leniter apes tractentur, atque, si suâ naturâ nequeant, molli consuetudine mansvescant. Si verò aliter non possint, jactu pulveris, aut mulsi lactisve resperzione aut fumo vel tinnitu æris compescantur; uti, qui apium naturam describere, docent.

Pari ratione motus civiles non vi & impetu, sed arte & consilio reprimi, præstat. Si turbulenti cives adhuc in primo æstu sint, advocandus aliquis Nestor: qui fide & auctoritate apud eos conspicuus sit: qui verbis eos aptè demulceat, & ad concordiam & conciliationem



liationem hortetur ; quod poterit eò efficacius, quo melius blandis promissis eis pulverem ob oculos sparget, donec in sanio rem sententiam illos perduxerit. Deinde per occasionem exaggeratione discriminis; atque si hoc negligant, nec alio modo compesci possint, ex auctoritate pub. metu pœnarum ac ferri reprimendi sunt.

Si plures sint duces in uno alveari, ex illis melior solum retineri, reliqui ad eos alveos, qui sine duce sunt, transferri solent. Virgilius : (i)

*Melior vacuâ sine regnet in aulâ.*

Quum imperium multorum in regno, Socii impatiente, non salutare sit ; eos sejungi præstat, si plures sint Principes fratres, eos aliò honorificè justèque traduci, si possint ; vel, si non possint, eis de liberali & statu suo dignâ sustentatione ac loco prospici, primogenitum verò solum, virtute ac prudentia, præstantem, rerum potiri, & ut penes eum vis imperii sit. At si natura populi ac status imperii plures admittant, illi consiliis & animis in usum publicum amicè conspiciant.

Ne autem imbecilliores apes à valentioribus premantur, illæ his cedunt, vel secrete sub alterum regem subjiciuntur, ut Quintilianus (i) & Varro notant.

Quintilianus

tiliani verba hæc sunt ; *Ne coacta in angustum multitudo novâ turbâ laboret, quasi habitâ ut recundia ratione, cedit populus minor ; suspensumque proximis ramis examen humanas manus expectat.*

Itaque si cives quidam potentiores aliorum impotentiâ ad dominatum vel injuriam abuti velint, necessitas svadet, vel hos cedere illis, vel potius Regis ipsius, cui subsunt, patrocinium quærere, qui & velit & legitime possit eos tueri. Verum si multitudinis alicujus factio & potentiâ fortè metuenda sit, nonnulli svadent, antequam erumpat, specie pacis, in quâ armis non opus sit, exarmandum esse : ut nocendi copia vel materia multitudini adimatur. Sed etiam

*Spoliatis arma supersunt,*

ut poëta ait, vel desperatio & furor tumultuari conantium facile arma invenit. Satius ergo est, illos, qui in repub. adhuc incorrupti, & quieti, præsentem statum amant, & plus reliquis possunt, benignitate & æquitate imperio conciliari, vel ut Aristoteles loquitur (k) *ἰδίῃς μάλιστα ποιεῖσθαι τῆς ἀρχῆς, maxime proprios imperii fieri, vel obligari beneficiis* : ut imperio bene cupiant. Ita non solum ademptione armorum non erit opus, sed etiam integriorum ac potentiorum fide, ac subsidio, si necesse sit, factiosorum & mi-

nus valentium partes aut minæ comprimentur. Cûrandum tamen potius, ut concordia & quiete quovis honesto iustoque modo, retineantur utrimque, & fide ac virtute magisquàm alijs omnibus præstent: quæ si illis confirmatæ sint, quidvis potius tolerabunt, quàm ut repub. moveant.

Sit tanta ubertate adnascantur apes, ut omnibus victus non suppetat, & inde novi motus exoriri possint; in alium & remotiorem locum velut coloniam pars earum emitti, aut ipsa per se aliò migrare solet. Varro: *Examen apum exire solet, cum adnata prosperè sunt multæ, ac progeniem veteres emittere volunt in coloniam.*

Inde ortum videtur, ut, si Respublica aut Civitas nimia & inquietâ turbâ prægravaretur, pars ejus aliò in coloniam emitteretur: ut annona magis sufficeret, nec sibi aut publico onerosa esset nimia multitudo. Certè Athenienses & Ephesii inde nummos suos *Apis* imagine signarunt: quod ea esset *coloniarum emissarum nota*, ut observat Pignorius in Symbolis Epistolicis. (1) Quotquot autem remanent in urbe, & quidem divites, à luxuria & insolentiâ legibus sumtuariis, earumque seriâ executione, refrenandi; egentiores necessariorum copiâ, suis manibus, si possint, quæsitâ, vel debilioribus & pauperibus

bus ex publico suppeditatâ continendi sunt :  
ut ab alienis cupiditatem & manus absti-  
neant.

(i) 4. Georg. (k) lib. V. Politic. cap. XI, (l)  
epist. XLIII.

# JOHANNIS LOCCENII

## Animadversiones Politicæ

*in aliquot navos*

## JUSTI LIPSII

Politicis adspersos,  
& dubiorum quorundam

Explicationes

nunc primum editæ.

*Navos quosdam, Politici ejus volumi-  
nis certis capitibus adspersos; qui  
breviter ac modestè diluuntur, &  
dubia enodantur.*



Magni viri Justi Lipsii verum est  
judicium in præfatione Politico-  
rum ipsius, de Machiavelli Prin-  
cipe : *Machiavelli, inquit, ingeni-  
um non contemno, acre, subtile, igne-*

*um, & qui utinam Principem suum rectè duxisset ad templum illud Virtutis & Honoris! Sed nimis sæpe deflexit; & dum commodi illas semitas intentè sequitur, aberravit à regiâ hac viâ. Cæterum quod Lipsius jure culpât in Machiavello, ejusdem non proflus ipse expers est in Politicis suis. Quod ampliff. & clariff. Conringius in præfatione suâ Principi Machiavelli præmissâ, dextrè notavit his verbis: *Lipsum, & si majore non nihil vafricie sit usus, Machiavellica & sapuisse & docuisse, facillimum deprehensu est, si expendere cui animus fuerit, qua libro ejus quarto (Politicor.) capitibus tertio decimo & decimo quarto differuntur. Statim enim utique in ipso initio negat, placere sibi illos, quibus probatur solum cum virtute directum iter. Et non multò post non admittit quidem in iis turpe aliquid mixtum esse; mox tamen præcipit, utilia cum honestis miscenda, modò non omninò abeat ab honesto. Capite sequente fraudum usum probat, & tamen in univèrsam definit fraudem argutum consilium, à virtute aut legibus devium. Modum itaque duntaxat in ejusmodi servandum reapse vult Lipsius. Inspiciantur quoque Conringii Animadversiones Politicæ in Machiavelli Principem pag. 157. & Civil. prudent. cap. XIV. pag. 352. Quin ipse Lipsius initio sui Operis Politici, civili vitæ duo fulcra addit: Prudenti-**

*dentiam & Virtutem*, ostenditque *prudentiam sine virtute calliditatem esse, & quidlibet potius, quam prudentiam.* Deinde virtutem in duos velut ramos dividit, *Pietatem & Probitatem.* Ab hac autem doctrinâ in progressu operis deflectit, dum ex usu Principis, inter vafros & malos, *prudentiam, cui aliquid ex fraudibus junctum sit,* admittit. Unde factum est, ut nævos quosdam libris suis Politicis aspergeret, ut jam ante ab ampliff: & clariff. Boeclero in Dissertatione suâ de Politicis Lipsii accuratè observatum est in capite quinto. Istos nævos pressius expendere, atque ingenuè modestèque pro viribus diluere, & quâ mente acceperit Lipsius, apertius ostendere animus est; non quidem tanto viro, & tot meritis in rempub. literariam insigni obtrectandi animo; absit: sed solius veritatis studio, & juventutis bono: cujus interest, ne auctoritate tanti viri temerè ducta, vel mente ejus non satis intellectuâ, vel specie veri decepta, in errorem delabatur, qui aliquando publicæ rei fraudi sit. Quum autem Lipsius opus suum Politicum ex veterum Auctorum verbis & sententiis apto ordine & contextu concinnarit, è re visum est dispicere, quoties opus esset, & propius intueri ac perpendere, quo sensu & scopo istæ à scriptoribus allata, & quomodo à nostro aucto-

auctore ad ipsius mentem directè vel minus eadem applicata sint, melioris cognitionis & iudicii causa. Excerptam autem ordine ex certis capitibus Politicorum Lipsii, quæ ad præsens institutum facere videbuntur.

*Ex libro I. Politic. Lipsii cap. III.*

*§. XIV. ubi sic loquitur:*

**P***Principem religentem esse oportet, religiosum nefas]* Hoc Machiavellicum videri possit. Sed quum lib. IV. cap. II. Politic. doceat: *Principem religiosum esse oportere; & ipse auctor in Notis se explicet; hoc missum facio.* Principi tamen, quamvis religiosus esse debeat, negat dicto loco §. 3. *liberum in sacra jus esse; secus atque Machiavellus, qui lib. I. Politic. vel Dissertat. ad Liv. cap. XIII. & seqq. Principem ad exemplum Romanorum veterum, pro statu publico religionem instituere posse, sensit. Quod etiam sibi persuadebat Carolus Rex Galliarum; de quo sic Thuanus lib. LII. Histor. Id illi persuasum esse, ne aliam religionem, quam eam, cui ipsius status innititur, juxta Machiavelli doctoris sui sententiam, in regno locum habere patiatur; alioqui nunquam pacatum fore.* Hic Carolus jus vel potestatem in religionem sibi vindicans, eam pro præcipuo instrumento habebat, quo regni externus &

civilis status in tuto & tranquillo servaretur; uti verba auctoris velle videntur; & hoc Machjavelli sententiæ convenit. Equidem ubi una & vera religio à Rege & Ordinibus regni semel & rite, & quidem in pacata repub. ut in hoc incluto Suetiæ regno, recepta est, ibi eam absque mixtura & permissione aliarum religionum, salvam & incorruptam servari, pacis & tranquillitatis publicæ, inprimis verò salutis animarum, interest. Sed aliud de turbata Repub. judicandum esse scimus, uti mox pluribus dicetur. Philippus II. Hispaniarum Rex aliquando cum Theologis suis de libertate religionis in Belgio consultavit; postquam Belgarum complures eam enixè flagitarant. Plerique Theologorum, ponderato provinciarum earum statu, initio affirmarunt: avertendo majori malo, quod ex civitatum defectione jacturaque obedientiæ erga principem timebatur, posse Regem absque Dei offensa, liberum sacrorum cultum populo indulgere. Rex verò negat, accitos illos fuisse, ut docerent, an potestatem permittendi haberet, sed an sibi necessariò permittendum præscriberent. Hic ne Regem offenderent, necessitatem videri nullam affirmabant, ut est apud Stradam belli Belg. dec. I. lib. IV. Ecce quantum sibi arbitrii Rex in religionem non solum sumat; sed etiam quàm



quàm vacillent, & placendi studio adulentur isti Theologi. Quamvis in Repub. turbatâ, aut pluribus sectis jam occupatâ, diversæ religiones, majoris tumultus vitandi causa, tolerari soleant; aut princeps nonnunquam per leges regni vel imperii etiam jurejurando sit obligatus ad plures religiones istic jam receptas, ferendas; interdû etiam vi factæ pacis, jus introducendi exercitium religionis adhæreat, ut loquuntur, territorio Principis; veluti vi Transactionis Passaviensis, Pacis religionis, & Legum fundamentalium in Imperio Romano-Germanico; tamen jus & imperium in conscientias, soli Deo reservatum, & religio non est res meræ principis potestatis, aut juris territorialis, ut nonnulli volunt; quod *nefandum axioma* Mevius part. I. in Jus Lubec. pag. 32. vocat. Nullius enim Imperatoris, Regis aut Principis tanta potestas est, ut religionem, more civilium rerum, ejusque fines ac modum regere ac determinare, aut qua velit forma cedere, aut pro ratione sui status, jugo conscientis imposito, mutare possit: quod *flagitiose dominationis arcanum* Cunæus lib. 1. de repub. Hebr. cap. XV. appellat; idque magno malo fuit Jeroboamo. 1. Reg. cap. 12. v. 28. & seqq. & cap. 13. 14.

**V**is oportune etiam ab optimo Principe adhibenda. ex scito veteri. *Quadam vi tractanda, quo ceteris quies sit*) Hæc verba ex Taciti Annal. 1, 9. 6. deprompta sunt. Bœclerus ad hunc locum: *Lipsius ad arcanum dominationis id referre videtur.* Vid. Lips. in Commentario ad istum Taciti locum p. m. 196. ubi tamen ostendit *per vim*, justam & licitam severitatem à se intelligi.

*Ibid. §. XXXIV. &c.*

**F**erociores populi, eoque bello faciles, quieti & otio per voluptates adsuescunt) Hoc serium usum præbiturum, ibidem indicat Lipsius; nimirum ut ferociores populi, voluptatibus emolliti, nihil in Repub. turbent, nec obstant imperantibus. Eo locum ex Taciti Agric. 21, 1. refert: ubi Tacitus illud inter *saluberrima* Agricolaë *consilia* recenset, quibus mitigarit Britanos bello feroces. Tacitus autem hîc tales *voluptates* accipit, quæ virtuti & honestati non repugnant: unde etiam *concessas* vocat; quales sunt, templa, fora, domos exstruere, studia literarum tractare, ut Schæfferus noster ad istum Taciti locum notat. Si vero (ut ad Lipsii interpretationem revertar)

for-

forſan ex uſu & ſecuritate Principis, aut potius Tyranni eſſe poſſit; non tamen ex dignitate & uſu reipublicæ eſt, ſtudioſè voluptates admittere: ex quibus mollities animorum, corruptioque morum nalcatur. Equidem, Machiavellus cap. XX. Principis pag. 86. edit. Conring. expreſſè inter *artes dominantis* refert: *novos provinciales temporis progreſſu & per occaſionem molles & effeminatos reddere*. Forſtnerus ad I. Annal. Taciti *Tyrannidis* hoc *mitiſſimum arcanum* eſſe docet. At Lipſius etiam videns, ex conceſſis voluptatibus, quales ille intelligit, facilè laſciviam & luxum, pronis ad devia vulgi animis inſinuari (*vid. 4. Pol. 8, 40.*) in ludicris populo indulgendis *modum tenere, & hæc lætitiæ potius, quam laſciviæ dari* ſuadet 4, 8. 39. quæ verba quoque Taciti ſunt Annal. 14, 21. 6. Ubi de quinquenniali ludicro, Romæ ad morem Græci certaminis inſtituendo, loquitur; atque varios de eo ſermones fuiſſe, plures tamen *honeſta nomina iſti licentiæ prætextiſſe* ait. Inter illa honeſta nomina hoc quoque unum erat, *lætitiæ potius, quam laſciviæ danda eſſe*. Ex iſtis verbis ſatis patet, quid de eare judicavit Tacitus: nimirum *licentiæ honeſto lætitiæ nomine à vulgo prætextam fuiſſe*. Sanè ſi ludi non ſint indecori, nec corrumpant mores; velut hilaria quædam, & ſolatia laboris privati vel oneris

ris publici, populo nonnunquam indulgeri possunt (ut in cap. IX. de Repub. Apum fuffius ostendi) cum modo tamen; ad quem Lipsius eos rectè restrinxit. Sed quid si ludi lascivi, & quidem concessi sint, quem modum voluptatis in reliquis ejus partibus servare populus soleat, si una pars ipsi concessa, atque inde *licentia* facta sit, res ipsa loquitur, & testantur alibi lupanaria, alibi alea, alibi obscæna aut vana spectacula, malo more indulta, aut legum vim superantia. Verè Tullius lib. IV. Tusc. Quæst. *Qui vitiis modum apponit, is partem suscipit vitiorum, quod cum ipsum per se odiosum est, tum eo molestius: quia sunt in lubrico, incitæque semel in proclive labuntur, sustinerique nullo modo possunt.* Vide eundem lib. II. de Finib. b. e. m. p. m. 39. edit. Gruter.

*Ex lib. IV. Politic. cap. IX.*

§. 57. 58. 59.

**S***ua retinere private domus, de alienis certare (regiam laudem esse.)* Hæc ex Annal. Taciti lib. XV. 1, 6. sumta sunt: ubi Tiridati tribuuntur; qui regno profugus, haud modica ambitioni suæ quærebat. Ad dicta verò verba sic notat Lipsius: *Improbè dictum videatur, sed in tempore utiliter.* Mox addit, *Optabilis qui-*

*quidem, magnitudinem suam iustitia tueri, ut* Chauci apud Tacitum Germ. 35, 4. *Sed optabilius. quò enim semper possit ? inquit. Inter impotentes & validos falsò quiescas. Ubi manu agitur, modestia & probitas nomina superioria sunt, velut Cheruscis apud Tacitum Germ. 36, 2. accidit. Sed nec Tiridatis, nec quorumcunque aliorum institutum laudari potest, qui imperii fines quocunque modo proferre, ad rationem Status facere, credunt. Utiliter quidem in tempore fit, ait Lipsius, num idè justè? nisi artem aliena ad se, per arma, licet injusta, transferendi, & iniquam belligerandi causam, etsi quæsito colore tectam, appellare velis justam. Tiridati qui per arma fortunam, per fortunam dominationem quærebat, ita videbatur. Ita Ludovico XI. Regi Galliarum, de quo Cominæus lib. IV. hist. suæ, eum extincto Carolo, Duce Burgundiæ, domum Burgundicam totam delere voluisse, hoc solum obtentu: *Id longè utilissimum fore Gallia; quæ per eam familiam propter ejus potentiam, multis annis afflicta fuerit. Certè, ait Cominæus, si quis humana tantum intueatur & civilia, graves erant & magna, quas adferebat, rationes; ad æquitatem mihi respicienti longè diversum videtur* Sed ubi juris usurpandi facultas deficit, species æqui sub prætextu utilitatis, ad aliena iniquè obtinenda satis esse, videtur.*

tur; velut amici Antiochi apud Livium lib. XXXV. jaçant: *initium semper per jus injusta impetrandi fieri, aut per juris speciem.*

*Ex IV. Politic. IX. §. 62. & IV.*

*Politic. XIV. §. 83.*

**Q**uorum potentiam suspectam habes, aut vim metuis, nec legibus in eos sine turbâ facile vindicare potes, potius turbandos aut clam tollendos videri, quàm ut te perdas) sunt ipsius Lipsii verba. Verum, uti rectè & prudenter sentit Gellius Noct. Attic 7, 5. *Humanae vitae negotia, actiones & officia vel occupandi, vel differendi, vel ulciscendi, non sunt similia pugnae gladiatoria. Nec gladiatori ad pugnandum composita fors est, aut occidere, si occupaverit, aut occumbere, si cessaverit. Hominum autem vita non tam iniquis neque tam indomitis necessitatibus circumscripta est, ut idcirco prior injuriam facere debeas; quam, nisi feceris, pati possis. Assentitur his Grotius de jur. b. e. p. 2. 1. 17. 18. Ut vim, inquit, pati posse, ad vim inferendam jus tribuat; ab omni aequitatis ratione abhorret. Ita vita humana est, ut plena securitas nunquam nobis constet. Adversus incertos metus à divina providentia & ab innoxia cautione, non à vi praesidium petendum est. Et mox: Metus rei incertae jus ad vim dare non potest. Aliud tamen*  
 sen.

sentiendum erit, si justa sit metus causa, & discrimen insidiarum hostilium certum ac præsens, facultas nocendi prompta, & injuria manifesta. Hic, si non alia expediendæ salutis via pateat, lex ipsa naturæ ac vis necessitatis se suaque legitime tueri, & malo imminenti rite occurrere suadet, imo imperat. Ea mente Legati Bataviæ in orat. ad Elisabetham Angliæ Reginam, apud Grotium hist. Belg. lib. VII. *Non puniendis tantum injuriis, sed prævertendis maxime, regimen Principibus & armâ cælitus data.*

*Ex IV. Politic. IX, §. 23.*

**S**ocietatem alterius palam induere, ad alterum *per occulta & magis fida inclinare*) Tacitus Annal. 12., 13, 2. de Itaze Adiabænorum rege, scribit: quod *societatem Meherdatis palam induerit, in Gotazen per occulta & magis fida inclinavit* Hæc *vetus calliditas* Lipsio dicitur, olim etiam Philippo Macedoniæ regi adversus Græcos, Romanis adversus socios, aliisque non semel usurpata. Adhuc à multis inter arcana Politica ponitur: cum aliis pacisci & apertè facere videri, præsentis fortè periculi vitandi causa; sed ad alios occulta viâ propendere, aut se illis clam adjungere: quibus se magis obligatos esse putant: ut ut horum  
 occul-

occulto favore, & si opus sit, auxilio prote-  
gantur contra apertos hostes, quod nostri Sue-  
ones etiam in bello Germanico satis experti  
sunt. Verum non calliditas aut securitas u-  
nius vel alterius partis, sed publicæ conven-  
tiones & pacta dant legem societati, inteme-  
ratè servandam.

*Ex IV. Politic. XI. §. 40. &  
seqq.*

**P**Uta multos aliquos & grandes peccavisse,  
quos citra invidiam grandem haud tollas, hic  
illud svadeam, non carptim aut per intervalla,  
sed omnes tolli uno velut ictu) quod fecit Domi-  
tianus ille tyrannus, de quo sic Tacitus in A-  
gricola 44; 6. Jam non per intervalla & spira-  
menta temporum, sed continuo & uno velut ictu  
Rempub. exhaustit. Hoc tyrannicum Lipsius  
svadet Principibus, Specie quidem acerbis, re  
verò mitius, ut ibidem addit. Nam repeti-  
tam illam & frequentem vindictam paucorum  
odium reprimere, omnium irritare. Proinde vult  
semel incidi quicquid incidendum est, & tum  
malagmata adhiberi bina, beneficiorum, & de-  
rivationis pœna in ministros. Nonne hoc idem  
est? quod Machiavellus consulit suo Princi-  
pi cap. VIII. Injuriam simul omnes & semel sunt  
effundende, quo minus gustentur minusque offen-  
dant.



dant. Beneficia verò sensim sunt instillanda, quo melius sentiantur. Ad quæ verba sic notat Conringius: *Licet Machiavellus velit ad Tyrannidem servandum satius esse semel & circa initia defungi ista crudelitate, quàm perpetuam exercere; tamen ista doctrina multis modis laborat.* Quidni laboreat? Quum non solum continua sævitia sit, sed etiam pro prudentia aut virtute habeatur. Ut Mithridates *sævitiam quasi virtute utebatur*, ubi Florus de eo scribit 3, 5. 7. dum uno edicto & stato die omnes civitatis Romanæ homines qui in Asia erant CLM. occidit, teste Plutarcho in Sulla cap. XLVIII. Illud verò tyranni, qui optabat populo Romano unam esse cervicem, ut omnes uno ictu tolleret, Lipsium svadere Principi? In malam rem abeat hæc doctrina, cum Ianienâ Parisiensi, Carolo R. Gallix svasâ Quod autem Lipsius vult *odium* inde natum *beneficiis mitigari*, idem esse videtur, quod cruentos ictus alteri inferre, ut commodiorem eum curandi sanandique occasionem habeas. Nam si justè plectas, quid opus est invidiam, meritæ pœnæ beneficiis mollire? si injustè & crudeliter, hoc Tyrannorum est, ut docet Aristoteles lib. V. Politic. cap. XI. Ericus XIV. Rex Suetiæ grandibus & eminentiorib9, quos suspicabatur adversus se conjurasse, sublatis, odium ex istâ sævitiâ etiam beneficiis in propinquos occisorum collatis vel poti9 oblatis,

in

in speciem lenitum ibat. Reipub. quidem interest, vera delicta (de delinquentibus enim loquitur Lipsius) non impunita abire; sic tamen, ut metus ad plures, pœna ad pauciores perveniat, nec remedium ipso morbo asperius sit.

*Ex Polit. IV. XIV. §. 37. &  
seqq.*

**C**onciliatio, sive, ut liberius dicam, *Corruptio* est, quum callidè inclinas & allicis ad te eorum animos operasque, qui alieni juris. O artem nimis hodie Principibus receptam, quæ una ferè in aulis plerasque res (ut ille de fortuna ait) ex libidine sua agitat. Quam valde etiam attollit Tullius, & proprium hoc esse prudentiæ statuit, conciliare sibi animos hominum & ad usus suos adjungere: quod duplici viâ fit, *Suasionis & Doni*, rarerè illa, hac altera creberrime; ut hodie corrupti depravatique mores sunt, admiratione divitiarum. Istius corruptionis finem hunc subjungit: *Principem & omnia ejus venalia haberi; arcana pace belloque referari.*) Hæc Lipsius quibus adjungit deceptionem, cum inducis alium in tua commoda errore aut mendacio. De deceptione inf. suo loco, ubi de fraudibus agitur. Quod autem Lipsius dictam *Conciliatio-*

*tionem* valde attollere Tullium adfirmat, ita est, sed attollit virtutis, non pecuniæ aut doni viâ. Verba Tullii offic. 2,5.m. hæc sunt: *Proprium hoc statuo virtutis conciliare sibi animos hominum & ad usus suos adjungere.* Statim addit: *Malè se res habet, quum, quod virtute effici debet, tentatur pecuniâ.* Est autem hoc artificium, nimirum *tentare pecuniâ*, vel *corruptionis*, ut Lipsius vocat, *via* vetus: velut ex Assyriorum regis archipincerna Rabface 2. Reg. 12, 31. & Vencingentorige apud Cæsarem lib. VII. belli Galli liquet, qui *civitatatum à se alienarum Principes donis & pollicitationibus alliciebat*; ut alios jam fileam.

*Ex lib. IV. Politic. cap. XIV. §. 24.*

**P***Privilegia & leges subditorum flectere aut violare posse Principem, prout usus ejus postulat]*  
Privilegia ac libertatem unâ manu dare subditis, altera eripere solent illi qui dominatio-  
nè suam & alienum servitium quærunt, solaq;  
libertatis imagine cives ludunt. Ita Rex Ægypti Pharaon, vivente Josepho, Hebræis liberam & tutam in sua terra sedem, & beneficia utendi fruendi bonis terræ concedebat. At successores, extincto Josepho, ex usu sui  
*status,*

*status, & prudenter, ut putabant (Exod. I, 10, 11.) labores & onera illis imponebant & cumulabant: ut vires eorum frangerent nec nimis crescere permitterent. Non quidem alienum est & iniquum, illis qui in fraudem reipub. aut ad petulantem licentiam, aliumve illicitum modum abutantur privilegiis, eadem vel constringi, vel tandem auferri, ut indignis. Non tamen fas est, ut Principes hæc pro suo arbitrio arceant, vel aliis indulgeant, aliis absque gravi causa adimant. Quod quibus artibus soleant, fusè tradit Forstnerus in III. & IV. Annal. Taciti.*

*Ex IV. Politic. cap. XIV. §. 85.*

*SI urbs aut provincia statui meo peropportuna, quam nisi occupo, alius faciet cum æterno meo metu aut damno, non preveniam? illi volunt, quibus hæc talia licita & proba, si cum successu.] Sunt ipsius Lipsii verba, ex usu ferme communi & mente utentium, præsertim in bello deprompta. Ut enim à privata domo incendium, etiam cum vicinarum ædium destructione, salvâ lege Aquiliâ, remove licet; quidni magis liceat, ajunt, publicum & commune avertere malum, cum unius & paucorum incommodo? Verum, ne sub obtentu necessitatis aut communis periculi dominationis, flagitium aut aliena invadendi cupiditas*

tas lateat, quædam cautiones hic observandæ sunt. Si nimirum certum, non imaginarium sit periculum: ne hostis eum locum invadat, nisi præoccupes, atque inde irreparabile damnum tibi adferat. Si nihil occupes, quod non ad securitatem sit necessarium, puta, nuda loci custodia, relictâ vero domino ejus jurisdictione & fructibus. Si id fiat animo reddendi occupatam urbem verod omnino, simul ac necessitas & periculum cessaverit. *Vid. Grot. de jur. bell. e. p. 2, 2. 10. & 3, 13, 1.*

*Ex lib. VI. Politic. cap. III.*

*§. 11. 14. 15.*

**H**Aud abs re esse, leviter inter se dissentire finitima oppida aut provincias; sed leviter; & hoc uno bono, ne in te conspirent. Sed & solita inter accolos odia fortasse tolerem; at nunquam veras illas, præsertim inter Nobiles, factiones ] Sunt ipsius Lipsii verba. Sed in ultimis respexisse videtur ad Cominæi locum, quem mox adducam. Machiavellus discurs. de Repub. lib. I. cap. 3. 4. 6. & lib. III. cap. 27. & cap. 20. Principis ex dissidiis inter plebem & Senatum Rom. libertatem, opes & potentiam istius Reipub. crevisse, differit. Gramondus ad hunc Lipsii locum oculos reflexisse videtur, dum ita scribit lib. II. hist. Gall. *arcanum imperii esse, dissensione eorum, qui provincias ad-*  

S  
mini-

*ministrant, valere auctoritatem regum. Sed operæ pretium erit, hac de re prudentis Comitiæ judicium audire, si prius quæ de Eduardo Rege Angliæ, Regis turbulentâ uxore & factionibus procerum velut principiis & causis hujus rei refert, acceperimus. Ea de re lib. X. hist. sic refert: Quum Eduardus Rex Angliæ parum prudens esset, natae sunt factiones inter proceres; easque fovebat illius uxor, Renati Siciliae regis filia, quando Sombresseti Ducis partes tuebatur, ac Baruicensem Comitem oppugnabat. Quod si diremisset illa dissidium, sibi suisque fortunis & Angliæ rectè consulisset. Nam exortum ab ea dissensione bellum viginti novem annos duravit, ac multò maximam partem lectissimorum hominum absorpsit; & illud immoderatum reginae studium in causa fuit, ut Beruicensis Comes Eboracensem domum, odio Lenclavicae familiae, deinceps propugnaret. Nunc apponit suum de ea re judicium, & simul disquirat, num hujusmodi factiones & dissensiones, præsertim Nobilium, Regi sint utiles. Factiones, inquit, conjunctæ sunt omnes cum periculo, inter Nobiles præsertim, qui multum alioquin in eam partem incumbunt. Dicat fortasse quispiam, illas partium offensiones Regibus non esse inutiles: patefieri hac ratione omnia consilia: nihil esse, quod non efferatur ad Regem: & in majori ipsum esse observantia. Non negarim, equidem, si quis princeps adolescens ejusmodi simula-*

emulatas ac contentiones in gynacéo suscitet; quim maximam sit habiturus ridendi suiq; oblectandi materiam. Nihil enim erit adeò secretum, quod in hac muliercularum emulatione & invidia non resciscat. Verum ut ea consuetudo recipiatur in catu virorum, ingens profectò periculum in eo versatur. Hoc enim verè sit ignem in tuis adibus accendere, què deinde non possis, nisi maximo tuo detrimento, restringere. Nam qui Principem vident à se alienatum esse, ii fere novas incipiunt tentare amicitias, & illis libenter se econjungunt, quos dissidere putant ab eo, quem sui adversarii partes tueri vident. Accedit, quod boni Principes non soleant dissidiorum semina inter cives suos serere; sed Tyranni aut dominationi intenti, & factionum studiosi, & in visi populo: ut distrahi dissidiis subditi, nihil contra eos moveant; illi verò de subditorum vecordia tutò triumphent, suamque potentiam & dominationem stabiliant. *vid. Aristot. Politic. 5, 11. Zevcotii Not. Politic. in Svetonii Julium pag. 60. 61. Eadem est sententia Forstneri in Taciti lib. II. Annal. p. m. 345. Mibi, inquit, ea de re ita videtur, ut nunquam nisi ex accidenti civium discordiam publica rei Principiq; prodesse putem. Primum, si tyrannus sit qui regnat & odio habitus à populo: tunc enim ut contententibus civibus ipse securius vacet, dividendi sunt, quos timet. Deinde si quorundam nimia sit opibus factionibusque potentia, qua aptiori ra-*

zione infringi nequit, quàm si inter illos dissidia contentionesque, quibus se invicem consumant, aut saltem quibus occupati in Regem conspirare nequeant, disseminentur. Verum enim verò hac cautio morbum arguit imperii, Principisque debilitatem: qui quum virtute viribusque destituatur, ad istas ignobiles, ne dicam probri plenas, artes confugere cogitur, qua tamen, etsi ad tempus juvent, postremò fallunt: Nam si bellum ingruat, qua partium Principem sibi minus æquum putat, hosti accedens, illius vires auget. Ut taceam in una civitate capta partium studia, quarum qualibet sibi amicos sociosque quarit, non unis mœnibus contineri, sed contagione alias quoque regni partes inficere.

Quæ Lipsius in Politicis suis ita, ut hæcenus audivimus, differuit, in magnas, medias & leves fraudes dispescit, easque fieri magis ita, quam rectè fieri non inficiatur lib. IV. Politic. c. 14. §. 3. 4. 5. 54. 55. 59. 92. 93. imò contra divinam pugnare sanctionem fatetur; sed suspensâ quasi mente & hæsitante conscientia. Magnas quidem fraudes, quas in perfidiâ & injustitia ponit. 4. 14. 5. damnat; sed medias tolerat his verbis: *Prædixi tolerari medias has fraudes à me, non tolli. Quid tamen, rectam illam divinamque legem si considero? hæreo valde & sudo.* Et mox: *Ægrè vos aut me. hîc expedio.* Quis non videt, ibi conscientiam & vafritiem inter se pugnare? ut rectè observat Bæclerus



in cap. V. Differt. de Politic. Lipsii pag. 61. Nihil autem cum scrupulo conscientiæ faciendum esse, præter invictum divinæ veritatis testimonium *epist. ad Rom. cap. 14. v. 22. 23.* etiam Iulius, etsi paganus, suo modo vidit, dum lib. I. offic. sic loquitur: *Bene præcipiunt, qui vetant quicquam agere, quod dubites æquum sit an iniquum. Æquitas enim lucet ipsa per se; dubitatio cogitationem significat injuriæ.*

In classe mediarum fraudum ponit corruptionem & deceptionem, ipse corruptiunculas & deceptiunculas lenioribus verbis vocat lib. IV. Polit. cap. 14. §. 51. licet cum tentatione, qua fit per munera & cum errore ac mendacio conjunctæ sint, ut ipse auctor dicto loco §. 37. & seqq. ostendit, & ita veræ sunt corruptiones ac deceptiones. Finem autem illis utendi duplicem facit, boni communis, & necessitatis. 4, 14. 53. & addit: *Vix esse, ut contra tot insidiantes se suosque aliter tueatur bonus Princeps; & tandem ita excusatum it: quod usu ac consuetudine jam pro nihilo habeantur istæ.* 4, 14. §. 87. 88.

Leves autem fraudes in diffidentia & dissimulatione ponit, quas non solum tolerat, sed etiam svadet.

Ad hæc ista reponi possunt: *Fraudes sive leves, sive mediæ, sive magnæ, nonne naturâ suâ sunt malæ? quæ diabolum, primum sophistam & impostorem, auctorem habent: unde*

*astutus* à Mose Gen. 3, 1. dicitur Præterea, quod absque minimo etiam peccato non est, purum bonum non esse constat: paulum fermenti totam fermentare massam. Quamvis autem vinum non desinat esse vinum, si aquâ leviter sit temperatum (quo simili auctor utitur) tamen non est merum ac purum vinum; ita quoque prudentia, cui guttulæ fraudis affusæ sunt, non est *mera & sincera* prudentia, nec cum *solâ virtute*, qualem prudentiam Lipsius antea lib. I. Politic. cap. VII. volebat, sed *mixta*; qualem ipse postea IV. Politic. cap. 33. facit; & quidem *mixta fraudibus* ac vitiis, quibus advertebatur prudentia. Quod autem *bonum commune* hîc prætextitur, non satis est; ne quidem, si nocendi animus absit; uti Besoldus in Dissertatione de arcanis Rerumpub. cap. 1. §. IV. existimat atque distinctum it: *Si nocendi inquit intentio absit cetera mala quasi apicularum morsus sunt, quibus dempto aculeo non subest virus.* Cæterum ut actiones in laude ponantur, non solum intentio bona & finis earum, sed etiam via, quæ ad finem ducit, recta esse debet. Nec mala boni finis causa vel facienda vel excusanda sunt, Rom. 3, 2. Fraus autem per se vitiosa est, etiamsi ad *bonum commune* dirigatur, & *ledendi animus absit.* Non itaque sufficit dicere, si quid in Repub. quocunque modo, sive justè sive fraudulenter fiat,

fiat, ita *Status rationem exigere*, vel *illud utile esse*, nisi idem justum & æquum sit; nec honestas ab utilitate sejungenda est: quod Cicero I. Offic. cum Stoicis (quicquid etiam contra sentiat Lipsius 4. Politic. 13, 2.) ex naturalis juris & rationis fundamentis fusè rectèquè docet. Imò *fundamenta natura pervertere ait, qui honestatem ab utilitate separant*. Et lib. II. Offic. dicit: *Hoc qui parum perspiciunt, hi sepe versutos homines & callidos admirantes, eorum MALITIAM SAPIENTIAM judicant. Quorum error eripiendus est, omnisque opinio ad ad eam spem traducenda, ut honestis consiliis justisque factis non FRAUDE & malitia ea, quæ velint, consequi possint*. Quin ipse Lipsius in monitis Politicis 2, 7. rectius sapiens expressè dicit: *Ne separemus honestum ab utili*.

Nec est, quod durum *Necessitatis* telum *usui fraudium* obtendatur, in cautione vel elusione insidiarum. Contra illas tutissimus est divinæ protectionis clypeus. Deum timendo, & rectè faciendo, neminem mortalium, nec ipsum diabolum extimescas. Hoc se munimento, non *fraude*, tutabatur David adversus pravos aut suspectos, ipsosq; insidiatores vitæ ac salutis suæ, Ps. CXVIII. *Jehova adest mihi: non timebo; quid mihi faciat homo?* Si verò quorundã insidiis petaris, id pro

delictorum correptione vel tentatione in bonū, quod Deus inde elicere novit, accipias. Tu verò potius *recto & simplici*, etiam ad exemplum Davidis, tecum, quàm dolo cum infidiantibus certes etiam si *prudentiâ cum simplicitate* (non fraude) *conjuncta* uti quoque liceat; de qua circa finem hujus dissertationis.

Quod autem Lipsius sua monita aut dicta de fraudibus, sic moribus recepta esse & consuetudine pro nihilo haberi ait, hoc parùm aut nihil patrocinator fraudibus. Hic enim respondendum est, quod Proculus J. C. lib. IV. Epist. & in l. 12. D. de offic. Præsid. respondebat: *Non spectandum est, quid Roma factum sit* (aut fiat) *sed quid fieri debeat*. Astus ac *tebne politica*, quæ vulgò in proverbium hodie abierunt, & passim malè audiunt; nihil aliud sunt quam pravæ artes, aut fraudes, ab earum malè consultis auctoribus in rebus administrandis usurpari sveltæ; non tamen exemplis pravo more excusandæ.

Quod denique Lipsius, (4, 14.) etiam *rectissimas mentes à recto fraudibus abstrahi, & eò ire, quò utilitas ducat*, contendit, meliora sperabimus, si tales sint, quales dicuntur, & bene edoctæ, Hetruscum doctorem, Machiavellum hîc non sequantur. Quod verò Lipsius Aristotelem eò quoque inclinare scribit: dum Principem moribus vel planè bonum; vel *semibonum* aut *semimalum* facit; in eo Lipsius  
memo-

memoriæ errorem erravit. Aristoteles enim in cap. XI. lib V. Politic. ubi de tyranni institutis agit, etiam hoc inter ea refert, quod *Tyrannus* (non bonus Princeps) tali sit ingenio, ut simulatione virtutis, quum non sit, videatur esse bonus; & inde vel *semibonus*, vel *semimalus*. Sed vero ac Christiano Principi probitas ac fides omni utilitate & calliditate potiores erunt. Polybius etsi paganus, tamen magnus civilis prudentiæ doctor lib. XIII. Hist. p. m. 671. 672 pulchrè docet: *Regi FRAUDEM minime convenire, etiamsi ad administrationem* (*περὶ γυμνασιὸν τῶν πόνων*, ut est in ipso contextu) *hodie nonnullis necessaria videatur*. Et quomodo dolus atque astutia, Principi utilitatis causa, conveniat aut placeat, non video; nisi fortè improbo, aut in malè parto imperio. Verus Princeps præ aliis & exempli causa, & quod sic expediat Reipub. integritatem ac veritatem colere amat. Bestiarum ignobilissimæ sui commodi causa maximè fallere solent. In hac quidem rerum ac naturæ imbecillitate, nihil est omnibus numeris absolutum; ita ut fallere & mentiri sæpe homines soleant; ad illa tamen doctore & svasore non est opus: ne vitia, ad quæ homines naturâ proclives sunt (nisi rectius informantur) virtutum nomen mereri videantur.

Hæc tamen non ita quisquam capiet, qua-

si dum mixtam fraude prudentiam improba-  
 mus, *asininam simplicitatem* sectandam esse  
 velimus. Non equidem illud. Didicimus  
 enim ex institutione ipsius Christi redemptoris  
 nostri *prudentem simplicitatem*; & ab aliis, di-  
 scrimen *inter eam qua simpliciter prudentia* di-  
 citur, & *inter περιεστρικω*, uti prisca auctores  
 Polybius lib. II. & III. & Posidonius apud  
 Ciceronem ad Atticum lib. XVI, epist. XI. ap-  
 pellaverunt eam; id est *prudentiam vel solerti-  
 am necessitate temporum expressam*: cui hu-  
 manum genus sua miseria & vanitas ob-  
 noxium fecit, ut Augustinus loqui-  
 tur: *quum nimirum bono fine & modo aliud a-  
 gitur, aliud simulatur*; quod etiam probat *l. 1.  
 D. De dolo, §. 2. 3.* & toto genere distat à fraude  
 & veteratoriâ malitiâ; velut Casaubonus in  
 verè eruditâ suâ Præfatione ad Polybium vel  
 Dedicatione prolixè deducit. Illa verò Pru-  
 dentia pro conditione temporum in pace  
 bellove adhibetur: quando ad rectè tuen-  
 dum nostra vel aliena, consiliis & arte vel  
 nostrâ vel alienâ adversus insidiatores, & su-  
 spectos, vel hostes, vel factiosos & seditiosos  
 rectè uti necesse est. Eâdem opus est ad re-  
 ctè de hominum actionibus judicandum, eo-  
 rum animos excutiendum aut occupandum,  
 occasione & circumstantiis rerum consilia ac-  
 commodanda, necessitati cedendum, secreta  
 celandum, periculosa circumspectè caven-  
 dum

dum, tempori rectè serviendum. Talem laudat Cornelius Nepos Epaminondam, quod *temporibus sapienter usus sit, sapienter inquit, non callidè aut, malignè, ut Alcibiades.*

Ut finem hîc faciam, optima illa est *status publici ratio*, quæ in Dei voluntati congruentibus & veris actionibus fundata est, quæ utilitatem ita respicit, ut ab integritate ac justitia non divertat. Et hanc talem Lipsium in animo suo prætulisse & amplexum esse verisimile est, quando conscientiam suam rectius excussit, & ante hæsitantem ex Vero magis confirmavit. Illud constat ex aliis ejus scriptis, præsertim Monitis Politicis 1, 7, 2. 5. & 13. ubi sic loquitur: *Tolle fucum & fraudem, quæ nec valida nec diuturna esse possunt; & ex libello ejus de una religione clarè patet, quod quæ de Fraudibus in Politicis scripserat, planè improbarit & damnarit, ubi hæc ejus verba exstant: Ego illa probo aut præeo? quin disertis clarisque verbis damno, detestor, repudio; nec nisi ut damnarem, unquam illa scripsi.*

FINIS.

SOLI DEO GLORIA!

IN-

# INDEX.

## Rerum & verborum.

### A.

<i>Ædilium munus</i>	177
<i>Æmulorum quorundam rabies</i>	71
<i>Æmulorum de potentia certaminis fructus</i>	38
<i>Agessilai rectum iudicium de erratis illustri- um &amp; privatorum hominum</i>	196
<i>Alphonsi dictum de benignitate &amp; clemen- tia imperandi</i>	43
<i>Ejusdem dictum de imperio</i>	136
<i>Amicorum ad numerum adscribendi qui- nam sint</i>	157
<i>Animus viri fortis obdurandus</i>	129
<i>Animus in consulendo qualis esse debeat?</i>	89
<i>Animum alienum ex animo spectat probus suo</i>	148
<i>Annulus signatorius non cuiusvis credendus est</i>	150
<i>Annulum signatorium capulo gladii Ca- rolus M. inclusisse fertur</i>	151
<i>Arendatores</i>	185
<i>Aristodemus apud Cumæos quomodo impe- rium suum communitum iherit?</i>	33



# INDEX.

<i>Artaxerxis exemplum in curanda Repub.</i>	<u>50</u>
<i>Assentationis magister &amp; nutrix servitus est</i>	159
<i>Avaritia verus character</i>	83
<i>Augusti artes in confirmando sibi imperio</i>	32
<i>Auribus servire</i>	149
<b>B.</b>	
<i>Barbari homines cur humaniter tractandi?</i>	<u>179</u>
<i><u>Belli civilis incommoda</u></i>	<u>45</u>
<i>Boni bonis ob equalitatem virtutis favent</i>	<u>199</u>
<i>Bonum publ. etiam privatis usui est</i>	74
<b>C.</b>	
<i>Cades &amp; sanguis sanguine non expiandus est</i>	44
<i>Cesar munificentia effusissimus</i>	<u>65</u>
<i>Cesar neminem participem dominationis ferre potuit</i>	37
<i>Callistrati prudens monitum de liberalitate &amp; nimia familiaritate</i>	159
<i>Calumnia cur Pratorum ministra dicta?</i>	175
<i>Catonis dictum de multitudine</i>	38
<i>Census in foro iudices legit</i>	<u>82</u>
	<u>Certa</u>

## INDEX.

<i>Certamen optimum est, magis pro Patria,</i>	
<i>quam pro sua potentia pugnare</i>	91
<i>Ciceronis cavillus in Laberium</i>	93
<i>Civitas num exteris promiscue danda sit?</i>	73
<i>Cn. Domitius joco exceptus</i>	85
<i>Cælo delapsus quis dicatur</i>	137
<i>Conditori urbium situs &amp; commoditatis</i>	
<i>loci ratio habenda est</i>	215
<i>Consiliarii quinam eligendi?</i>	136
<i>Consilium Regi dare difficile &amp; quare?</i>	61
<i>Consulentis animus qualis requiratur?</i>	89
<i>Corruptionis actio apud Athenienses in</i>	
<i>munera dantem &amp; accipientem erat</i>	155
<i>Cultus bonorum morum ad Rempub. est</i>	
<i>necessarius</i>	76

### D.

<i>Delictis manifestis non est indulgendum</i>	52
<i>Devicti in fide manent, si benigne habeantur</i>	36
<i>Discordia res maxima dilabuntur</i>	96
<i>Divitia ubi chara habentur ibi omnia bona</i>	
<i>venalia sunt</i>	80
<i>Diogenis effatum ad illud: nihil ingrediatur</i>	
<i>mali</i>	58
<i>Doctrina cultura assimilata</i>	136
<i>Domitianus insidias metuens</i>	43

**Duabus**

# INDEX.

<i>Duabus sellis sedere</i>	94
E.	
<i>Epistola proprium</i>	194
F.	
<i>Fasces insignia apud Romanos quid significarint?</i>	153
<i>Fasces Prætorum cur colligati ferrentur?</i>	153
<i>Fidendum cur omnibus non sit?</i>	156
<i>Fœneratores turbant Rempub.</i>	46
<i>Formidat qui formidatur</i>	42
<i>Förstneri prudens monitum de tranquillitate publica conservanda</i>	54
<i>Fortes adversis rebus indurantur</i>	64
<i>Fortuna sue fabrum esse quemque, quem autorem agnoscat</i>	30
<i>Fortuna vocis varie acceptiones</i>	29
G.	
<i>Garde, Gallica vox, quid significet?</i>	146
<i>Gentes quadam cur quærendis quam retinendis provinciis meliores sint?</i>	31
<i>Græcorum ingenia ad fallendum parata</i>	158
<i>Gustavi Magni Regis Suetiæ constitutio de vectigalibus</i>	191
H.	
<i>Hamburgi domus disciplina hæc verba præfert: Labore nutrior, labore plector</i>	235
<i>Homi-</i>	

## INDEX.

<i>Magistratum offensionum pro utilitate publica impavidum esse oportet</i>	165
<i>Magistratus aequè parvum ac magnum audiat</i>	176
<i>Magistratus constantiam &amp; gravitatem adhibeat</i>	168
<i>Magistratus in curanda Repub. Medicis assimilatur</i>	50
<i>Magistratus quis mancus dicatur à Platone</i>	35
<i>Magistratus ministros suos cujuscunque conditionis abstinentes &amp; fideles praestet</i>	140
<i>Magistratus officium</i>	90
<i>Magistratus officium à subditorum quomodo differat?</i>	
<i>Magistratus quandoque sit severus</i>	166
<i>Magnanimus versetur circa res magnas</i>	53
<i>Malo cui esse licet, formidatur</i>	32
<i>Mansuetudo Regum adversariorum animos sibi facile devincit</i>	43
<i>M. Tullius honores templi &amp; monumenti sibi decretos cur recusaverit</i>	178
<i>Militia justa apud Romanos</i>	59
<i>Militum Romanorum praemium</i>	59
<i>Ministri quomodo à Dominis suis regendi &amp; in officio suo continendi sint?</i>	147.
<i>Multi</i>	

INDEX.

Multitudo vulgi in motu civili quem sequi  
soleat? 38

Mysi ob mores pravos contempti erant a-  
pud Græcos & Romanos 164

N.

Negotium majus vilioribus non temere est  
committendum 162

Nobiles ignavi status assimilantur 8

O.

Oberati & perditii homines ad turbandam  
Rempub. facile invitantur 40

Oneri cedere turpe est 129

Opum studium Germanis fuit causa servi-  
tutis 78

P.

Pacis firmandæ artes 46

Pansa consilium Casari datum de tuendo  
principatu 35

Pecunia studium est melioris studii impedi-  
mentum 78

Pessimi hominis & ferocis equi comparatio  
34

Pessimus quisque asperrime rectorem pa-  
titur 33

Philippi I. Ducis Pomerania responsum 51

Pbryges ob mores pravos apud Græcos &  
Romanos contempti erant 164

## INDEX.

<i>Platonis dictum de <b>beatis</b> Rebuspub.</i>	180
<i>Plebis officium</i>	90
<i>Plebs bonis negotiis impedita, malum publicum facere desinit</i>	<b>54</b>
<i>Pœnarum moderationem adhibeat magistratus</i>	<b>154</b>
<i>Pœnis crudelibus civitas vastatur</i>	<b>51</b>
<i>Potentia absque prudentia magis nocet quam prodest Reipub.</i>	180
<i>Potestatem omnem esse à Deo Christiani recte agnoscunt</i>	<b>29</b>
<i>Potestatis gubernatrix est Prudentia &amp; sapientia</i>	<b>180</b>
<i>Princeps bonus bonis imperare studet</i>	<b>33</b>
<i>Probus animum alienum ex animo spectat suo</i>	148
<i>Provinciam recturus provincialium mores &amp; ingenia nosse debet</i>	<b>134</b>
<i>Provinciis querendis quam retinendis sur quadam gentes meliores sint?</i>	31
<i>Providentia divina humanorum consiliorum dispensatrix</i>	63
<i>Prosopopœia elegans exemplum</i>	96
<i>Prudentia encomium</i>	63
<i>Publica dicuntur</i>	184
<i>Publicani dicebantur</i>	<b>185</b>

**Publi.**

INDEX.

- Publicari Romaorum ex ordine equestri-  
 rant 2. 192
- Questoris nomen unde? 143
- Questoris officium quale requiratur? 144
- R.
- Rebus in arduis & periculosis nullius amici  
 consilium spernendum est? 36
- Rektoribus provinciarum bene meritis, ho-  
 noris causa, monumenta posuerunt 177
- Reipub. mutationis causa 47. seq.
- Regendi modus alios à se primum ordiendus  
 est 36
- Reges & Principes quare excubitores di-  
 cantur 134
- Regna & imperia num casu dentur? 29
- Rerum potentes plerique perverse consulunt  
 33
- Res laudantur ut earum usus est 82
- Respub. bonis pacis artibus firmanda 35
- Res secunde cur difficilius plerumq; feran-  
 tur quam adverse 65
- S.
- Sapientes pacis causa bellum gerunt 50
- Saturnini Tyranni effatum de sua felicitate  
 42
- Senatoris notitia qualis esse debeat? 63
- T 3 Sena-

# INDEX

<i>Senatorum numerus apud Romanos</i>	<i>93. seq.</i>
<i>Securibus quinam amputandi</i>	154
<i>Seneca monitum de moderatione pœnarum</i>	154
<i>Sententiam ferre per tabulas quis inven- rit</i>	<i>94</i>
<i>Servi in disciplina recte continendi sunt</i>	160
<i>Servi privatis &amp; domesticis rebus adhibe- antur, non autem publicis</i>	161
<i>Servitus magistra &amp; nutrix assentationis est</i>	159
<i>Strenui laudem laude continuare student</i>	201
<i>Subsidium infirmum in sceleratis est</i>	<i>33</i>
<i>Sulla Tyrannis contra jus gentium</i>	45, 51, 70.
T.	
<i>Tabule nova quid?</i>	135
<i>Tbaletis Philosphi respposum</i>	41
<i>Tribuni ararii quinam dicti?</i>	68
<i>Tyranni raro senescunt</i>	41
<i>Tyrannorum felicitas, perpetui angoris comitatus</i>	<i>42</i>
V.	
<i>Victoria Caesaris laudatur</i>	34
<i>Victoria bene composita, totius belli fructus est</i>	36
	Vin-